Dissertatio medica de potu cafe ... / proposita a Marco Mappo ... respondente D. Wencker.

Contributors

Wencker, Daniel, active 1693-1695.
Mapp, Marc, 1632-1701.
Université de Strasbourg.

Publication/Creation

Argentorati : Literis Joh. Friderici Spoor, [1693]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/f7pmbu7n

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

15

J. J.

DISSERTATIO MEDICA DE POTU CAFÉ,

In alma Argentoratensium Universitate

proposita

à

MARCO MAPPO, MED.

DOCTORE ET PROFESSORE PUBLICO,

Solenniter Respondente

DANIELE WENCKER,

Argentinensi.

Ad d. Mens. Maÿ Anno M DC XCIII.

ARGENTORATI,

Literis JOH. FRIDERICI SPOOR.

MAGNIFICO, AMPLISSIMO
ET PRUDENTISSIMO
VIRO
DOMINO
FRANCISCO
Reißeisen/
CONSULARI AC TREDECIMVIRO
REIPUBLICÆ PATRIÆ
MERITISSIMO,
UNIVERSITATIS SCHOLARCHÆ
GRAVISSIMO,
PATRONO,
COGNATO SUMME COLENDO,
SACRÆ REGENERATIONIS TESTI
BENIGNISSIMO,
PRÆSENTEM DISSERTATIONEM,
IN
MONUMENTUM
PERPETUÆ OBSERVANTIÆ ET GRATITUDINIS
SUBMISSE CONSECRAT
DANIEL WENCKER.

DISSERTATIO MEDICA DE POTU CAFÉ.

§. 1.

INstituti hujus nostri rationes hic non repetimus, notatas jam in *Dissertationis de PotuTheé* Procemio. Missis aliis etiam ambagibus, & iis quæ de Potus natura in genere & in specie de Potu calido supponenda sunt, de quibus actum in *Dissertationibus de Potu calido*, quæ de Potu Café proposituri sumus, pertinent vel ad Historiam illius, vel Medicæ proprie sunt considerationis. Illa non omittimus, non tantum quia curiosa, sed & quoniam his quandoq; lux ex illis petenda.

§. 2. Ob rationes autem à pluribus expositas, præmittenda quædam de Nomine. *Leonhardus Rauvvolfius* Augustanus, celebris ille peregrinator, qui postquam artem Medicam aliquandiu Augustæ Vindelicorum, non sine applausu, exercuisset, incredibili Rei Botanicæ amore captus, Anno Christi 1573. Senatus permissu, in Orientem iter suscepit, & quæ observavit reportavitque, fideliter descripsit, & inter cætera *primus*, quantum constat, Europæos de Potu Café Turcis familiari, brevi designatione certiores fecit, (ut patet ex Itinerarij Germanico idiomate scripti c. 8,) refert, Potum hunc appellari Turcis *Chaube*; Fructum autem unde paratur *Bunno*;

addens, se secundum analogiam Nominis & similitudinem formæ arbitrari, Fructum illum esse, quem Avicenna *Bunche* & Rhases *Bunca* adpellarunt, donec meliora fuerit edoctus. Ita ejus mentem etiam accipit *Carolus Clusius Exotic. lib. II. c. 21.* addens tamen *D. Alphonsum Pancium*, Medicum ac publicum in Academia Ferrariensi Professorem, misso ad ipsum fructu, monuisse, quibusdam *Buna*, aliis vero Elcave nominari: Hosque videtur sequi in Herbario suo *Tabernæmontanus* sub nomine *Buna*. lib. III. c. 12.

§. 3. Verumenimvero, diversitas inter *Bunchum* & fructum de quo nobis sermo, ex quo Potus noster paratur, facile adparet, si missâ priorum interpretum, qui multa insuper habuerunt, multa etiam assecuti non sunt (vide *Georg. Hieron. Welsch.* de Vena Medinensi p. 328. & seq.) ex Textu Arabico translatione, accuratiorem versionem Textus Abuali Ibn-Tsinæ, vulgo Avicennæ dicti, quam exhibet *Vopiscus Fortunatus Plembius*, conferamus, cum descriptione nostri fructus. Hanc paulo post dabimus; illam vero, ut cuivis facilis sit collatio, hic adscribimus ex Canon. Med. lib. II. tr. 2. subjuncto Scholio *Plembij* ipsius. *Bunk, Bunkum est res quæ ex Arabia Felice defertur. Quidam esse ajunt partem ex radicibus Spinæ Arabicæ præ vetustate deciduam. Optimum est flavum, leve, suavis odoris: improbum est album & grave. Calidum siccumq; est ordine primo: Alij tamen frigidum esse volunt primo gradu; partes corroborat, cutim emundat, humoresq; sub ea latentes absumit, odoris gratiam corpori conciliat, tollitq; calcis atq; inde confecti Psilothri fœtorem, ventriculo aptum est.* Ita ille. Scholion vero *Plembij* est. *Vocabulum illud sic expressum* Bunkalats *est Myrtidanum, uti patet ex titulo de Myrto: Sed simpliciter positum & nullo addito, aliud prorsus significat, & de hoc nunc agitur. Maruphides Arabs Autor Lexici Arabico-Persici satis ampli & probi, ut inquit Golius, dicit esse radicem odoratam, sed quæ aut qualis sit, non explicat,* Beitharides *item Arabs, qui de simplicibus Medicamentis librum edidit, censet esse Nascaphthum de quo Dioscor. lib. I. c. 22. quod fortassis verum est. Etenim Nascaphthum est lignum corticosum, putridum præ vetustate, odoratum tamen, quæ omnia* Bunko *etiam conveniunt.* Factâ collatione

latione horum cum descriptione Café §. 12. proposita, atq; etiam sensu in consilium vocato, evidens plane est, *Bunkum* vel *Bunk Avicennæ* non esse granum ex quo Potus *Chaube* adornatur, ut voluit quidem *Rauvvolfius*, quem alij multi videntur secuti: Unde etiam de vocabulo illo apud *Rhasen* non sumus soliciti. Erroris forsan causa fuit, quod fructum illum seu granum audivit *Bon, Ban, Buna* adpellari ab Ægyptiis atque Arabibus, linguarum Orientalium non usque quaque peritus, monente Dn. *Welsch* de Ven. Medinens. c. 12. Confer *Vestingium* Epist. ad Patr. Athanas. Kircherum Obs. & Epist. LV.

§. 4. Qui Anno 1580. Venetiis solvens Italus in Ægyptum iter suscepit, & per triennium ibi commoratus, post reditum fuit constitutus Professor Botanices & Horti Medici Præfectus in Academia Patavina *Prosper Alpinus* lib. de Plantis Ægypti c. 16. & lib. de Medicina Ægyptiorum lib. IV. c. 3. scribit, semina vulgatissima ex quibus omnes tum Ægyptij tum Arabes parant decoctum vulgatissimum, quod vini loco ipsi potant, venditurque in publicis Oenopoliis, non secus ac apud nos vinum, ibi appellari *Bon* vel *Ban*; Decoctum autem *Caova*; quæ nomina non adeo differunt ab ijs quæ Rauvvolfius habet; Si nobis revocamus in memoriam, quanta pronuntiationis in diversis regionibus aut tractibus terræ, diversitas.

§. 5. Qui post Prosperum Alpinum Ægyptum plures-que alias Regiones Orientales perlustravit, & post reditum, illius in Cathedra Patavina vestigia pressit, Dn. *Joh. Vestingius*, fructum nostrum etiam nominat *Bon* ex ore sc. Orientalium, Potum *al Caova*, addens, in Peregrinorum ore, *al Chaova, Chaova, Chaube, Cavé, Café* nata nomina. vid. Observ. & Not. ad prosp. Alpin. c. 16. & Epist. ad Athanas. Kirch. l. c.

§. 6. Et notata pronunciationis ratio causa videtur, quare nostratibus & quam plurimis aliis Europæis scribatur & dicatur *Caphé vel Café*; quod propterea nomen operæ pretium duximus retinere; quod jam olim *D. Bucretius* Veneiis ex ore Turcarum exceptum, D. *Danieli Sennerto* circa

Maslach Turcarum curioso, ita expressit, vid. Prax. Med. Sennert. lib. I, Part. I. c. 6. in subjuncta quæstione.

§. 7. Diximus superius *Alphonsum Pancium* Medicinæ Professorem Ferrariensem, cum hunc fructum inter rariora tum transmitteret *Carolo Clusio*, addidisse, quibusdam *Elkave* vocari. *Hoc vero deinde Elkave Historia Plantarum Rovilliana XIIX. c. 33. in Elicano turpiter corrupit.* verba sunt *Georg. Hieronym. Welsch.* de Ven. Medin. c. 12. qui simul notat ibidem, quæ apud Bernhardum Paludanum (Not. in Linscot,) leguntur Nomina *Chaona* & *Choana* gravioribus Typothetarum mendis accensenda: quo etiam pertinet nomen *Elkarie*, quod nonnulli ex Pancio petere volunt. ap. *Caspar Bauhinum* Theatri Botan. lib. XI. Sect. 5. c. d. Euonymo. Qui ipse, si quisquam, de re botanica optime meritus, nullum Latinum aut Græcum satis congruum inveniens nomen, Arborem unde fructus noster desumitur, ut intra dicemus, vocat *Euonymo similem Ægyptiacam, fructu baccis Lauri simili*; designatione ex descriptione Alpini aliorumq; adornata.

§. 8. Qui Fructum de quo quæstio, cum sorbitio parati inde liquoris primùm in Gallia admitteretur in usum, *Morum* appellaverunt, fidem faciente charta quadam Lutetiæ Typis impressâ, ejus naturam parum cognitam videntur habuisse, nec apparet ulla nominationis ratio, vid. hac de re, Dn. *Laurentium Straus.* App. Schröd. p. 18.

§. 9. Tractatus de Potu Café, Chinensium Theé & Chocolata Dn. *Sylvestri du Four* Mercatoris Lugdunensis docti & curiosi, & propter commercium literarium etiam cum Orientalibus, & propter impetrata ab his de Natura & Potu Café documenta, nominatissimi, (vid. *Journal des scavans* pour l'Année 1684. & *Nouvelles de la Republique des lettres.* Mois de Maj 1695. Artic. 4.) Gallico idiomate editus, deinde suppresso Domini *du Four* nomine, Latinitate donatus, sed admodum mendose, nec Parisiis, ut Titulus præfert, sed Genevæ Anno 1685. impressus, Anno autem 1688. secunda Lugduni editione, (quam deinceps allegamus,) limatior & cum supplementis quibusdam à laudato Dn. du Four publici juris factus,

factus, cap. I. notat, quosdam antequam in pulverem sit redactus fructus, hunc nominare *Bunchum* Latine, Gallice Bon quod Bun pronunciant: In pulverem vero redacto varia imposita esse nomina, Café, Cophe, Cave, Cavet, Cahve, Caveah, Chaube, Choana, Chaona, Cahveh; Sed quamvis idem post Dn. *D. Simonem Pauli*, & quosdam alios, hoc discrimen nominum calculo suo probet & retineat, passim tamen video Nomen Café & nomina illa quæ parum ab eo differunt, modo Fructum, modo Grana Fructus, modo inde paratum pulverem, modo paratam ex pulvere sorbitionem, notare. Confer *Johan. Vestingium* Epist. ad Patr. Athanasium Kircherum Observ. & Epist. 55. Dn. *de Thevenot.* Voyage fait au Levant c. 24. & suite du Voyage du Levant. c. 4. Dn. *Joh. Bapt. Tavernier*, Voyage en Turquie &c. Part. II. *Dn. de Blegny* de Legitimo usu Café. c. I. *Francisc. Bacon. de Verulamio.* Sylv. Sylv. Cent. VIII. Exper. 738.

§. 10. Ad originationem seu Etymologiam pertinet, quod *Vestingius* scripsit, al Caova forsan illo (Arabico) idiomate à Confortando nuncupari. Epist. allegat. Conjecturam video confirmari Documento Dn. *du Four* c. 1. quando refert, Equitem *d'Arvieux* Consulem Gallorum, acerrimi ingenij Virum hoc nomine rogatum, postquam omnem hoc nomine lapidem movisset, Alepo rescripsisse, Fructum Café dictum, Arabico idiomate adpellari Cahoueh; quod Arabes V. Consonans, ut cæteri populi, non habeant: Turcas autem aliosque Orientales pronunciare Cahvé, Originemque deducere à Cohvet quod est robur, quod ejus effectus insignis sit corroborare. An autem Nomen Café in lingua Arabica significet etiam Vinum, & propter analogiam virtutis, Potui Café hoc idem nomen sit impositum; sicut innuere videntur *Joh. Bapt. Tavernier* Voyage en Turquie Part. II. & *de Bourges* in Itinerario Episcopi Berytensis; istius linguæ peritis discutiendum relinquo.

§. 11. A Nomine *Café* Tabernæ seu thermopolia ubi adornatur & divenditur Potus Café, nomen Turcicum habent *Cavehanes*, terminatione Gallicâ, secundum Dn.

du Four. Cavehanas vocat interpres Latinus. Dn. autem *de Thevenot* designans loca deliciosa in suburbiis Damasci, ubi Café potatores confluunt, illa adpellat *Cavéz.* Suite du Voyage du Levant c. 5.

§. 12. Sed missis nominibus, ad rem ipsam transeamus. Grana oculis hodie nostris passim, non apud eos tantum, qui in Thermopoliis ad sorbitionem illa præparant, sed & apud Pharmocopolas & Mercatores, qui magna quantitate per commercia ea ad Europæos curant, Café dicta, sunt *Nuclei Fructus arboris Arabicæ, qui Baccæ Lauri magnitudine vel paulo minor, formâ eidem & colore, dum gemini intersepto tenui distincti, in duplici cortice, altero exteriori nigro & satis crasso, altero interiori admodum tenui continentur, est assimilis, valde duri & solidi, oblonge rotundi, quâ vero jungebantur plani, tum à se invicem tum à Corticibus facile separabiles, colore candido in flavedinem degenerante, ob peculiarem in potu vim somnum arcendi, stomachum roborandi aliasq; virtutes Medicas & Gentium applausum, hodie inter polychresta numerandi.*

§. 13, *Oculis hodie nostris expositum* obiter noto, ut intelligas, Picturam fructus ad ea pertinere, quibus hic carere possumus; Eam tamen videre licet, apud *Carolum Clusium* Exotic. lib. II. c. 21. *Tabernæmont.* lib. III. c. 12. *Du Four* in limine Tractatus de Café. *Simonem Pauli.* Quadripart. Botan. Class. III. Rami picturam exhibet *Prosper Alpinus* l. c. Dn. *du Four* in limine Tractatus de Cafe. Append Schröder. p. 16. Per microscopia qualis sit illius facies, exactissime designare satagunt, *Antonius Leuenhöck* Epist. ad Societ. Angl. Anno 1687. & *Nehemias Greu* in Anatomia Plantarum Anglico idiomate scripta; inter quos tamen male convenit, dum figuras diversissimas nobis exhibent.

§. 14. Dico *Fructum esse*; consensu eorum, qui hac de re aliquid literarum monumentis consignarunt. Nam quando in Dn. *Francisci Baconis Comitis de Verulamio* Historia Vitæ & Mortis scriptum est. *Turcæ habent etiam in usu Herbæ genus, quam vocant Caphé, quam desiccatam pulverisant & in aqua calida propinant, quam dicunt haud parvum præstare illis vigorem & in animis*

& in

& in ingeniis; omnia me jubent credere, tanti Viri mentem non fuisse recte expressam; tanto magis, quia ille Sylv. Sylvar. VIII. Experiment. 738. scribit. *Turcis in usu est Potus quem vocant Coffa, ex bacca cognomine.*

§. 15. *Arboreum* autem noto, ut, ad quodnam genus referendus sit, intelligatur; & hæc quæstio postulat, ut simus certiores, cujus plantæ sit fructus. Domini *Bernier* relationem ambiguam, quasi *Volvuli* esset species (vide ejus Epistol. ad Dn. du Four, Tractatui de Cafe subnexam) nullum video invenire applausum. Arborem esse quæ ferat hunc fructum, tradunt, *Prosper Alpinus* de Plantis Ægypti c. 16. *Arborem vidi, ait, in viridario HaliBei Turcæ, cujus Tu iconem nunc spectabis, ex qua semina illa ibi vulgatissima, Bon vel Ban adpellata, producuntur. &c.* & Lib. de Medicina Ægyptiorum lib. IV. c. 3. *Semen hoc Bon vocant, arboremq; ipsum ferentem vidi in quodam Turcæ* Bei *viridario ex Arabia delatam: Johannes Veslingius* qui post Alpinum easdem regiones perlustravit, in Annotat. ad hunc locum, fatetur, se in Viridariis Ægypti, quæ quidem accedere licuit, arborem hanc non amplius conspexisse; vocat tamen *Arborem*. De forma Arboris *Prosper Alpinus* l. c. hæc habet: *Arbor, quam inspexisse me dixi, Evonymo similis observata est, sed tamen folia crassiora durioraque habebat atque viridiora, perpetuoq; virentia.* Secundum ea quæ memorat *Dn. de Blegny*, Lib. de Legitimo usu Café; eâdem formâ in Horto Nobilis cujusdam Divionensis à multis annis conspicitur. Flores Arboris sunt candicantes, secundum descriptionem Arabis cujusdam Medici, quæ Oxonij in Anglia edita An. 1656. referente Dn. *D. Laurentio Straussio.* vid. Append. Schröder. p. 12. Cum itaque arboreus sit fructus Café, & ita differat ab omni leguminum genere, malumus dicere Fructum sc. sui generis, quam cum illis hunc confundere. Unde simul intelligitur, non nisi improprie, ob qualemcunque analogiam, à multis fructum nostrum Fabam appellari, aut pro Faba haberi: hanc enim profert Herba caule anguloso inani, conjugationibus paucioribus, floribus papilionaceis è foliorum alis exeuntibus, siliquis majoribus.

§. 16. *Arboris Arabicæ.* Locum enim Natalem agnoscit, illorum ferè, qui de illo verba fecerunt, consensu, illam Terræ plagam, quæ hodie Yemen, olim Arabia Felix dicta, vel, ut quidam volunt, illius partem, ubi sine cultura crescit in vastissimis campis versus meridiem. v. *Prosperum Alpinum*. d. Plant. Ægypti. c. 16. *Johan. Veslingium* in Observ. & Not. ad l. c. Alpini. *Joh. Bapt. Tavernier.* Voyage en Turquie, en Perse & aux Indes. Part. II. De *Bourges* Itiner. Episc. Beryt. *Du Four.* de Café. *De Blegny* de Café. c. I. Arabiam modo notatam, immensam copiam ferre fructus Café, argumento est, quod quotannis, fidem facientibus qui loca illa oculis usurparunt, XXV. millia saccorum, quorum singuli 300. libras granorum continent, Cairum, post diuturniorem per mare vectionem, camelis importentur: Caravana etiam cum Mahometis devotis in Ægyptum & Syriam adferat X. vel XV. millia saccorum ejusdem ponderis. v. Dn. *du Four.* de Cafe. c 2. & D. *Dapper.* in Descriptione Arabiæ, Belgico primum, & deinde Germanico idiomate edita. Quando autem Dn. *du Four*, negans ullibi Café provenire quam in campis Arabiæ Felicis, addit, etiam magnum non esse tractum istius Regionis, qui sit ferax hujus arboris, contradicentem habet doctissimum *Veslingium.* (Observ. & Epist. 55. de Caova ad Patr. Athanas. Kircherum) testem omnibus numeris idoneum, quando scribit. *Affertur in Ægyptum ex Jamin & Indiis quoque propinquis. Copiam enim tam vastam vix plures Provincia suppeditent.*

§. 17. *Baccæ Lauri magnitudine est, vel paulo minor*, si sc. ad magnitudinem in utraq; bacca matura respiciamus, quæ ut plurimum, adeoq; secundum ordinarias naturæ leges, observatur. Nec aliam notat magnitudinem *Petrus della Valle*, quando magnitudinem mediocris Olivæ æquare scripsit. Instantiam nobis nullam facere debent, minores illi fructus integri, qui inter grana Café excorticata, ut magnâ quantitate divenduntur, interdum conspiciuntur; Hi enim integri videntur mansisse, quod in immaturis & justam magnitudinem non adeptis, grana & cortices non ita facile separen-

rentur. Ejusmodi imperfectos fructus videtur vidisse Dn. *D. Simon Pauli*, quando illos baccis Lauri longè cedere scripsit, addens, suo arbitratu omnium optime cum semine Admirabilis Peruvianæ comparari posse, illi in omnibus simillimo. Sensus hic optimus judex, dum utrumque ad manum granum.

§. 18. *Bacca Lauri formâ & colore fere similis* dicitur, s. comparatur illi, quia vulgaris est notitiæ. *Fere* autem *similis*; quia in fructu Café integro, foris sulcus quidam conspicitur, qui illum in duas partes designat & interno duorum nucleorum intersepto respondet, quod in nigra Lauri bacca non observatur. Dominus *Olearius* in Itin. Pers. comparavit, grana, ratione quidem substantiæ Tritico Turcico, ratione formæ externæ Tritico Germanorum; sed molliori interpretatione utraq; comparatio opus habet.

§. 19. Quod de *Corticibus* additum, præter consensum Veterum & Recentiorum Peregrinatorum, observatur etiam apud nos quandoque, quando inter grana, ut ad nos per commercia curantur, interdum reperiuntur integri fructus, seu grana involucris suis adhuc conclusa, justæ, sed rarius, magnitudinis, in quibus etiam *Interseptum tenue* inter duos nucleos satis adspectabile.

§. 20. Nucleos ipsos *valde duros & solidos* asserimus; quia non tantum ad sensum tales adparent, sed & aqua macerati, non nisi post plures dies de duritie sua remittunt, nec nisi post plurimos vere mollescunt, imo ad mollitiem instar pisorum, fabarum aut phaseolorum coqui nequeunt.

§. 21. Quando eosdem *colore candido in flavedinem degenerante* asserimus, tales semper vidimus: Nec nobis obstat, quod *Prosper Alpinus* lib. de Medicina Ægyptiorum scribat; Decoctum Caova appellatum, ex seminibus quibusdam nigris fabas imitantibus, in Ægypto parari; vel enim respectu siliquosi involucri nigri, vel respectu torrefactionis, quæ adustionis non est expers, videtur nigra adpellasse. *Virtutes* denique *Medicas & applausum gentium* dicenda indicabunt.

§. 22. Fama est ex multorum, ut fit, conjectura, Arabes arboreum hunc fructum, antequam exportetur in alias regiones, infundere in aqua fervente, committere fornaci vel quacunque alia ratione admovere igni, & reformare, ut elementum germinis destruatur, ne in aliis regionibus plantari queat. Cum hac tamen suspicione male cohæret, quod granis quibusdam cortices in sua integritate adhærent, nec ullum reformationis indicium præbent. Dominus etiam *Vesslingius* videtur supponere, extra locum natalem etiam coli & plantari posse, dum scribit. *An autem in hoc fructu alibi producto virus quoddam se extulerit, nullo hactenus exemplo discere potui.* supra alleg. Epist. ad Patr. Athan. Kircherum. Dominus *de Blegny* de Café p. m. 82. memorat, se observasse, commissum aquæ frigidæ fructum hunc, bidui spatio rudimentum germinis protrusisse; & Dn. *D' Errere* Mercatorem Parisiensem, cujus Mercaturæ partem Café constituit, fidem facere, Nobilem quendam Divionensem, fructum, periculi faciundi causâ, terræ commisisse, & hinc enatas plantas à plurimis jam annis in horto colore, formâ ab Orientali non differente. Nos factâ infusione, non per biduum tantum, sed per plures dies, vidimus tuberculum minimum attolli, quod suspicionem germinis movit; hoc tamen non vidimus emergere. Nobilissimus autem Dominus *RESPONDENS* curiosus, in variis liquoribus infundens grana de quibus quæstio, in spiritu vini manifeste emergere germen animadvertit ac mihi monstravit; certior ego de præsentia germinis, periculum feci in granis diu in aqua maceratis, an pressu digitorum idem eodem loco foras agere possem, quod statim successit; omissâ deinde pressione digitorum, in aliis granis, eo loci, ubi vestigium tuberculi erat, factâ levi separatione, idem conspeximus; atque hac nunc ratione demonstrabile semper est. Certior etiam non ita pridem factus sum, peritum hujus Civitatis Pharmacopolam, inter peregrinas merces ante triennium accepisse saccum Café, quem, cum navi veheretur, aquâ mersum fuisse, sciebat; expedientem autem grana, deprehendisse magnam partem illorum germen protrusisse, adeo ut illorum

non

non pauca Medico suo (ex cujus relatione hæc habeo) offerret, ut illa terræ in vasis committeret, cupidus sc. scire, an radices agere possent; quod tamen non potuerunt. Fabulosum. E. merito videtur, Arabes sive ex invidia, sive lucri causâ, grana Café, antequam exteris vendantur, dictâ ratione reformare.

§. 23. *An antiquissimis temporibus hoc terræ productum cognitum* fuerit, & qui primi vel casu vel sagaci inquisitione in illud inciderint, incertum. Qui talia determinet, nemo quantum sciam, idoneos hactenus produxit testes. Ad *Avicennæ* vulgo dicti tempora, frustra quidam respiciunt, qui floruit Anno Christi 1145. quod sc. ipsi nomine Buncho venerit. Nam errorem supra notavimus. Fidem habentes *Fausto Naironi* Maronitæ, Linguarum Chaldaicæ & Syriacæ in Collegio Romano Professori celebri, in Dissertatione, quæ secundum commemorationem Dn. *du Four*, c. 4. extat in Italorum Eruditorum Ephemer. Anno 1671, Recentioribus demum gloriam inventionis tribuunt. Nam in hunc sensum ille verbis Interpretis Latini. *Custos Camelorum aut Caprarum, ut existimant alij, quibusdam Monachis retulit, nonnunquam Capras aut Camelos suos, noctes vigilando & saltando transigere, id quod Abbas pabulo tribuendum statim conjecit: Cujus ut certior fieret, in loca tunc temporis pecudi frequentata se contulit & animadvertit, illi, die nocti quam saltando egerat, anteriori, multos certi cujusdam generis occurrisse frutices, quorum fructus verisimiliter comederat. Nonnullos itaq; eorum qualitates investigandi causâ collectos, aquâ fervefecit, & liquore epotato somnum averti deprehendit; quo motus Monachis suis, ne officij nocturni tempore dormirent, potandum præbuit. Res ex voto cessit, & paulo post multas fructui illi salubres esse qualitates, detectum fuit. Quapropter multis desiderabilis evasit, maxime autem ipsis Mercatoribus; quippe qui in grati animi fidem, preces privatas & solennes sacrant Sciadli & Aydro; quibus Monachis hujus fructus investigationis tribuitur honos.* Calculum suum confert Dn. *Tavernier* l. c. quando in hunc sensum scribit. *Usus Café fuit inventus per Eremitam cujus nomen erat Scheck Siadeli; ante 120. incirca annos. Nam ante ipsum nullus alius author occurrit.* Si hæc

Inventionis, Examinis & Usus initia; nullum est dubium, quin ita ut fit, curiosus curiosum de re inaudita reddiderit certiorē, & Observationes primæ subinde suas habuerint accessiones. Dominus *du Four* ex præcipuis locis universi, ut ipse loquitur Orientis, particeps factus Responsorum ad hanc quæstionem, ostendit, in eo illa conspirare, à duobus tantum circiter seculis, cœpisse ita vulgaris esse notitiæ. Ipse tamen merito non desinit dubitare, quandoquidem *Ludovicus Bassano*, *Antonius Menavinus* & *Franciscus Sansovinus* qui scripsere, prior quidem Anno 1545. alter Anno 1548. tertius Anno 1563. ubi loquuntur de tribus Potuum generibus Turcis familiaribus, eaque describunt, ne verbum quidem de Potu Café habeant: Imo plures asserant, apud Turcas illorumque vicinos Potum Café non fuisse admissum, nisi cum Sultan Helin debellavit Ægyptum, An. sc. 1517. 1518. ubi à longo jam tempore in usu fuisse, animadverterunt, illo procul dubio ad Arabibus ad Ægyptios translato: *Marcus* denique *Paulus* qui circa Decimi tertij seculi medium scripsit, quemque norunt accuratum in historia, ne verbum quidem de eo proferat. Manet E. nobis etiam ratum, cum *Leonhardus Rauvvolfius*, *Prosper Alpinus*, *Johannes Veslingius* supra allegati primi fuerint, qui potum Café Orientalibus ita familiarem observarunt, Europæosq; de illo certiores fecerunt, superiori & nostro seculo; Antiquiores vero peregrinatores, etiam ubi de potuum generibus in Oriente receptis ex professo agunt, de potu Café taceant omnino, veritati consentaneum esse, non multum à nostro seculo abesse, quod Orientalibus primùm potum Café commendavit.

§. 24. In Europa non ita pridem inter nova cœpit placere. Italiam quod attinet, *Petrus della Valle* in Epistola III. 1615. Constantinopoli scripta, promittit, se post reditum suum in Italiam, hunc potum hactenus illi incognitum publicaturum. Ipse scio, ante 30. annos cum studiorum, præter cætera, causâ, Italia mihi placeret, nondum vulgaris fuisse notitiæ. Gallis non innotuit Usus Café nisi à 40. fere annis; nec placere adeo cœpit, nisi à 25. præterpropter annis.

asse-

asserente Dn. *du Four* Gallo, curioso talium circumstantiarum annotatore. Tr. de Café. Certe cum Anno 1662. Gallias perlustrarem, in nullum unquam incidi thermopolium, in quo potus Café venderetur, cum non solum hodie magnus illorum ibi locorum numerus, in quibus, qui varios palato gratos liquores adornant, copiam consumunt incredibilem: sed & privati in ædibus suis, & Communitates intra parietes suos, illius non modicam quantitatem absumant. Parisiis & Lugduni, tantum non in omnium spectatarum familiarum foco, fervere ollam Potui Café destinatam, publica fama est. Anglis ante 50. annos Café non nisi nomine tenus cognitum fuisse, ex scriptis *Francisci Baconis Comitis de Verulamio*, quæ supra tetigimus, elucet. *Dn. Willis.* Pharmaceut. ration, sect. VII. c. 3. ait, *A nuperis annis hic potus etiam inter nostrates in morem abijt*: Cum hodierna luce Londini numerentur thermopolia publica 3000. in quibus ampla conclavia, ad quæ magnus compotatorum confluxus, qui compotationes in seram sæpe noctem continuant. vide *du Four.* c. 9. & *de Blegny* de Cafe. c. 2. Nec citius in Belgio in consuetudinem venit, quam hodie Batavis receptam esse, cernere est. In Germania forsan adhuc paucioribus illius placet usus. Hoc scio, aulis Magnatum nonnullorum, & quibusdam curiosis privatim innotuisse, aut etiam ex variis causis in usu fuisse, antequam vulgaris esset notitiæ aut vulgati usus.

§. 25. Tam famosi igitur Potûs operæ pretium est cognoscere adornationem. Inter eos qui primi curiosi Europam de tali potu certiorem fecerunt, *Leonhardus* equidem *Rauvvolfius.* Itinerar. c. 8. contentus fuit indicasse, ex fructu *Bunnu* potum *Chaube* parari. *Prosper Alpinus* autem Lib. de Medicina Ægyptiorum. l. IV. c. 3. eam ita enarrat. *In frequentissimo usu ibi (in Ægypto) est decoctum Chaova appellatum, quod ex quibusdam seminibus, nigris, fabas imitantibus, parare consueverunt. Duobusque modis ab ipsis parari solet. Eorum enim alij decoctum faciunt ex seminum nuper dictorum tunicis seu folliculis; & alij ex eorundem seminum substantia. Quod ex folliculis paratur, efficacius quam ex seminum substantia elaboratum prædicant.* & paulò post *Parant*

autem

autem illi hoc decoctum, sumentes nucleorum illorum, seminum à folliculis mundatorum libram unam & mediam, eaque parum igne torrefaciunt, contostaq; bulliunt in aquæ libris viginti; alijs sinentibus nucleos prædictos torrefactos ac minutim confractos per diem infusos in aquam, manere; atq; alij nulla præcedente infusione eos bulliunt ad consumptionem medietatis, percolatumq; decoctum ad usum servant, in fictilibus vasis undiq; clausis. Eodem ibidem modo parant decoctum ex seminum folliculis, in minori tamen quantitate sumptis. Pro quo parando accipiunt alij prædictorum folliculorum sex uncias, alij novem, inq; libris viginti aquæ fontis, ad consumptionem medietatis ipsum coquentes. Dn. Johannes Veslingius in Epistola ad Patr. Athanasium Kircherum supra allegatâ, ita. *Granis (sc. Café) fortiter exsiccatis ac nonnihil torrefactis, ut in pulverem deinceps contundi queant, coctio fit in ahenis probe stanno obductis, furnisque in hunc usum elegantissime exstructis, in quibus pastâ ex fimo animantium paleisq; subactâ, ignem alunt. Ad pulveris Uncias XVIII. aquæ libras XX. ut fere minimam sumuntur, atq; ad denarum consumptionem percoquuntur; quamvis & minus aquæ sumant qui crassius, plus vero qui dilutius desiderant: neq; opus hic percolatione ullâ.*

§. 26. In Europa operæ pretium non æstimant, peculiare decoctum parare ex corticibus seu folliculis; quia circa horum quidem virtutem videntur fluctuare authores. *Prosper Alpinus* l. c. *Decoctum*, ait, *ex folliculis paratum, efficacius quam ex seminum substantia paratum prædicant*, Dn. *du Four* c. 5. fin. notat, quæ ex diversis locis Orientalibus sc. accepit, fidem non facere, efficaciorem esse potum Cafe ex folliculis. *Petrus della Valle* Epist. III. Constantinopoli scripta, refert, vel parari potum ex siliquis vel ex granis, persuasumque esse Turcis, alterum refrigerare æstate, alterum calefacere, quamvis ipse certus non sit, an hic vel ille, hoc vel illud præstet. Præcipue autem, quoniam istorum folliculorum in copia compotes non sumus. Nam seorsim ad nos non curantur, & in multitudine granorum, ut ad nos importantur, pauca tantum reperias grana in & cum cortice nigro.

§. 27. Propterea de granorum solum præparatione soliciti, *Delectus*. I. habent rationem. Nam cum ex longin-

qu

quo illa ad nos perferantur, ratio facile suadet, ea præferenda grana Café, quæ recentiora & minus exsucca; cum vetustiora, evanescente restitantis humiditatis momento, majorem virium videantur fecisse jacturam: Sicut hoc observatur in variis leguminum generibus, nucleis, baccis, cum quibus fructus hic aliquam habet analogiam. Exemplo suo rem illustrat Dn. *Bernier*. in Epist. ad Dn. *Du Four*, commemorans quamdiu in Ægypto versatus fuit, potum Café ipsi non fuisse ad palatum; postquam vero Arabiam Felicem attigit, cum Louhaiæ & Mokæ commoraretur, suavissimum potum Café observasse, quamvis nihil ibi addatur sachari, & singulis diebus cum summa voluptate quinque vel sex pocula exhausisse: unde concludit, in Arabia recentem fructum Café, non recentem, cujus solius nos participes reddimur, bonitate admodum superare, cum temporis progressu saporis gratiam amittat, sicut Amygdalæ, Fabæ. Interim qui grana hæc in commercio habent Europæi, atque iterum iterumque magnam illorum copiam oculis usurpant & examinant, fatentur, nullum manifestum discrimen inter magis & minus recentia aut vetusta, constitui posse. Et sane, si grana hæc ad annos aliquot asserves, ita ut injuriis externis non sint exposita, vix discrimen in colore, duritie, magnitudine observabis. Dn. *Du Four* consultum arbitratur, Café, ut ipse fecit, ex locis Natali finitimis subinde petere: agnoscit tamen, hâc nos etiam ratione fraudibus esse obnoxios: Et quamvis ratio suadeat, annosa fieri leviora & obscuriora; ille tamen scribit c. 5. de Café, esse, qui præ cæteris dignotionem granorum Café acquisivisse sibi videntur, qui fidem faciant, grana Café colore subflavo & minoris ponderis, subalbis majoris ponderis præferenda, cujus equidem assertionis libenter intelligeremus rationem. His ita se habentibus, manet nobis ratum, salvâ recentium in Arabia prærogativâ, grana Café postquam semel, quacunque tandem ratione, summè exsiccata sunt, ut ad nos perferuntur, integritatem per aliquot annos suam servare, ætatem autem eorum non facilé dignosci. In genere hodie Galli præferunt, cæteris pa-

tibus Café, quod Maſſilia Cairo & hæc ex Arabia recipit, illi quod Batavi Rhotomagum curant, unde in varias provincias transmittitur; quia illud tamdiu navi non vehitur, nec præſumptio eſt, diu ſub Mercatorum fornicibus latuiſſe. vid. *Du Four* c. 5. *& de Blegny*; qui agnoſcit tamen, vilioris pretij ſpeciem eâdem viâ advehi. c. 3. Ad delectum denique pertinere, ut quæcunque admixta aliena ſequeſtrentur & ab uſu excludantur, omnes intelligunt.

§. 28. II. Café grana quæ bonæ notæ æſtimant, ad imitationem Orientalium, *Torrefactioni* ſubijciunt. Eſt autem Torrefactio quam adhibent, non nuda arefactio, ſed aduſtionis particeps præparatio. Aduſtionem indicat fumoſus odor: & populus, dum præparatur maxime, & in potu quoque, hordeum aduſtum vél etiam ſabas vel piſa in prunas conjecta & uſtulata redolere, contendit. In illa ipſa autem præparatione adornanda, neſcio quid ſecretæ artis jactant, cujus pauci ſint compotes, quam nemo niſi longo uſu & experientiâ perdiſcat, quamvis multi illius ſe jactent peritos; cum interim Café vel nimis torrefactum & aduſtum vel non ſatis torrefactum, omne ſit inutile, unde procul dubio multi, quibus potus Café commendatur, votis ſuis excidunt v. Dn. *Du Four* c. 5. & Dn. *de Blegny*. c. 3. Dextetitatem ſingularem hac in re requiri, vel inde conſtat, quod Dn. *Bernier* qui Cairi, quæ una ex vaſtiſſimis Orientis urbibus, ubi potus Café omnibus familiaris, diu commoratus eſt, refert, fuiſſe ſuo tempore duos tantum tabernarios, in tanta multitudine illorum, quos, ut perfecte torrefaciendi Café peritos, fama commendarit.

§. 29. Dn. *Du Four* ſatis gnarus, magnam partem eorum, qui Café torrefaciendo, inque farinam redigendo, & ex toſto potum adornando divendendoque, victum & lucrum quæritant, ignorare veram Methodum torrefaciendi Café, damnat illorum quidem audaciam; Ipſe vero uſu & experientiâ longâ tum propriâ, tum alienâ, amicorum ſc. artis peritorum, (quorum nonnulli maximam vitæ partem in regionibus Orientalibus tranſegerunt, & amore illius potus

capti

capti, circa minima etiam, quæ præparationem ſpectant, curioſi fuerunt) certior de Café torrefaciendi & toſtum in farinam redigendi ratione & methodo, hanc publici juris fecit, quando in hunc ſenſum ſcribit. c. 5. de Cafe. *Accipe* (Retinemus verba Interpretis Latini prioris editionis, quia nil mutatum quoad torrefactionem in ultima notamus) *quæ torrefacere vis grana Bun (voce illa in præſentiarum utor, ut ſententiæ eorum me accommodem, qui, priusqvam in pulverem redactum fuerit, Café vocandum eſſe negant,) dummodo duarum aut trium librarum, pro ſingula vice, quantitatem non excedant: quo minori enim quantitate ſumuntur grana, eo melius torreſiunt. Sartagini aut æneæ lanci, vel ſi mavis, pelvi fictili ſuperpoſitæ igni carbonum, probe, ſine flamma tamen, accenſo, inijcias; cura deinde, ut ſtatim atque ipſa incaleſieri animadverteris, cochleari ferreo vel ſpatula indeſinenter agitentur, & ſic ſingula grana æqualiter ignis vim recipiant, donec ſemiuſta appareant, cavendo maxime ne ulterius progrediatur uſtio: quod Tibi innoteſcet, cum colore caſtaneo & ſubnigro grana tincta videbis, tuncq; igne eximas. Si debite peracta fuerit, jucundum veluti panis aduſti odorem, ſed cephalicum ac ſtomachicum magis, percipies. Torreſieri etiam poteſt in vaſe ex ferro albicante aut cupro ſtanneo confecto, quale videre eſt in tabella quam initio hujus Tractatus exhibeo, quod quidem granis impletur, tegitur operculo & ad ignem carbonum valde accenſum circumagitur, donec ſatis torrefacta ſint. Hoc pacto haud dubie minori quantitate ac in pelvi fictili detecta, partes volatiles evaneſcerent, indeq; melius evaderet. Licet tamen modum iſtum pluries experiri conatus ſim, nunquam res ex ſententia ceſſit; aliorum forſan voto & experimentis ſuccedet.* Et paulo poſt. *En deſcribo modum facilem, quo in torrefaciendo Café nunquam aberres. Si autem ſemel Café inveneris tuo temperamento ſanum, illius in ſpecimen pugillum aſſerva, & torrefaciendo cum ipſum probe coctum videris, quædam ex intervallo contunde grana, donec farina eodem colore imbuatur; hac cautione vix intento fruſtraberis.* Confer Dn. *de Blegny* c. 3. Hic vas ſeu inſtrumentum quod granis Café repletum ad ignem circumagitur, donec illa ſatis torrefacta, non probat, maxime, quod particulæ igneæ pene-

trantes, partes volatiles per foraminula opposita expellant; cum in sartagine, motitatis granis, pars particularum volatilium agatur iterum in grana. Hoc vero magnum videtur postulatum; & causa allegata modum supponit, sine quo ad ignem, æque facile, volatilia quæ sunt, quâ data porta, evolare possunt. Idem l. c. commemorat, se invenisse novum aliquem modum torrefaciendi grana Café, in instrumento superiori non dissimili, sed duplici, in fornace Reverberij, quo torrefactio sine adustione, seu ut ipse loquitur, ita fiat, ut grana præparationi subjecta, particulis, ut vulgo quidem fit, igneis non impræ̃gnentur & præcisè ad exoptatum gradum torreantur. Figuram tamen tum instrumenti tum fornacis non exhibet, quod adhuc aptiorem modum animo volvat.

§. 30. Tosta grana in farinam *comminuere* sequenti ratione docet Dn. *Du Four*. *Grana decocta contundes, & in pulverem rediges: non multum concisa Orientalibus placent, Gallis vero ita tenuia, ut subtilissimum cribrum transire queant. Granis decoctis & contusis, apprime cavendum ne evanida fiat farina: huic enim magis est obnoxia, quam Vinum ipsum: & si semel vappida sit, nulli rei amplius conducit; ejus qualitates enim non modo debilitantur sed penitus pereunt: quod nunquam non vitare debemus. Curandum igitur molito grano, farinam corio adipe exterius uncto, aut cerato includi, ita ut nec per corij poros, nec per sacci suturas, ullus aëri detur aditus: subito igitur stringendus saccus ad Café superficiem usque, nec nisi ad usum aperiendus, tuncq; cochleari utendum est, ut protinus & cum diligentia religetur. Ratio hujus est, quod virtus Café maxima in spiritibus, qui per torrefactionem elevantur, consistat, qui si evanuerint, non nisi magma aut insipida quædam farina, mucidum & situm redolens, superstes erit, illiusq; decoctio æque injucunda est, ac sanitati noxia. Hoc animadvertere est, cum farina, loco odoris panis calidi & adusti, mucidum olet. Quo diutius asservatur, eo minoris est virtutis, indies odorem & saporem balsamicum, qui igne excitatur, aëre vero dissipatur, amittendo. Minimâ igitur & qua solum opus est quantitate pro singula vice, & ipsum sumendi imminente tempore, molendum est, ut majoris jucunditatis & utilitatis sit potio. Hâc, utpote præstantiori, methodo utuntur Arabiæ desertæ incolæ; molesta*

tamen

tamen est iis, qui jucunditatem sine curis expetunt. Interim aliter agere & in tertium & quartum mensem congestam servare farinam, præcipuum negligere est. In hac iterum circa comminutionem in pulverem, & farinæ conservationem præcautione & diligentia Dn. *de Blegny* non acquiescit, sed parvis molis, comminutioni aromatum alias destinatis, quibus inferius aptatus sit saccus coriaceus, jubet atterere grana Café, ut in hunc farina decidat, nec aër externus illi se insinuare queat, & minor partium volatilium jactura fiat. Cribrum etiam hunc in finem non nisi tectum & munitum probat. Et hic quidem apparatus & processus præferendus utique videtur, si optio datur. Damnato etiam illorum more, qui pulverem præparatum in charta solum bibula exponunt in Officinis suis, satis sæpe diu, ad mercaturam, vult asservari pulverem in vasis ligneis, operculis tornatilibus, plumbo & corio rubro munitis. Notanda autem etiam fraus quorundam in præparatione huius farinæ lucri causa inventa, quando duabus partibus pulveris Café tosti, miscent tertiam partem panis tosti modice adusti, phaseolorum aut fabarum; quæ fraudulenta adulteratio vix à peritissimis cognoscitur. Unde monet Dn. *Du Four* nisi in præsentia nostra tostio sit adornata, non quibuslibet Tabernariis, sed solum integræ famæ & fidei qui sunt, fidem habendam. Confer *de Blegny* de Café, c. 3. & 4. qui Pisa præcipue minora, quæ ex Hispania petuntur, fraudi inservire cognovit.

§. 31. III. Farinam dicta ratione ex granis Café torrefactis, *ut decoquant*, non quævis probatur olla ad decoctionem aliarum rerum idonea; sed, ad imitationem Orientalium, vas cupreum intus stanno obductum, quantum fieri potest accedens ad illud vasis genus, quod in Oriente decoctioni Café destinatum, intus & extus stanno obductum, singulari quadam dexteritate, quam Europæi hactenus, quamvis omnem eum in finem lapidem moverint, imitari non potuerunt, quod Ibriq, sicut quævis ansata vasa, appellatur, & cujus figuram exhibet Dn. *Du Four* in limine Tractatus de Café. Hinc quæ Europæi adhibent vasa seu ollas, unius

formæ non ſunt, ut videre eſt ap. Dn. *De Blegny* Tract. de Café. In eo conveniunt omnes, quod ventre ſint amplo, ut celerius recepta vi ignis, coctio ſit promptior; nec non in eo, quod operculo clauſa, collo ſint anguſto, ne volatiles ſpiritus evolent & avolent, ut loquuntur. Cave tamen, ne in rigore hoc accipias. Nam illorum particulam in auras evaneſcere, facile intelligitur. Sunt qui minus curioſi, contenti ſunt ollâ figulinâ vitreatâ, aut cupreâ ſtanno obductâ, quales apud nos in culinis quotidiani ad varia uſus; quorum inſtitutum priorum illorum conſuetudini ſaltem non præferendum. Sunt qui, ſicut cætera vaſa, ollas ex argento adornari curant, intus inaurari, quæ omnium minime alienam qualitatem liquori communicant.

§. 32. IV. Decoctionem ipſam quod attinet, video illam adornare Tabernarios ac privatos ad cum ferè modum quem deſignavit Dn. *Du Four* c. 6. plenius aliis, qui partes notarunt, quos propterea non allegamus. Ita autem illa ſe habet. Ollæ idoneæ ſupra deſignatæ infundunt Aquæ ſimpl. ℥x. vel ℥xij. Ollam imponunt prunis ſeu carbonibus vivis; poſt effervescentiam modicam, quam bullarum emerſio indicat, inijciunt pulveris Café præparati ʒiij, omnem moventes lapidem, ne ebullitione quicquam extra ollam feratur, cum immerſo in aquam bullientem pulvere, ſine mora illa incredibili celeritate ſpumeſcat & attollatur. Hanc ob cauſam intentum ſemper oculum habent ad aquam, & quam primum illa accedit ad ollæ labia, illam ab igne retrahunt ac iterum iterumque admovent, ut duodecies præterpropter adhuc bulliat, ſummo ſtudio caventes, ne quicquam effundatur, cum factâ jacturâ partis, actum eſſet de omni ſpiritus virtute. His peractis, cineribus ſatis calidis ollam imponunt, ut calor liquoris conſervetur ſine ebullitione, magma fæculentum fundum petat, & decoctio fiat limpida. Quoniam tamen non omnino certi eſſe poſſunt, an recentius an vetuſtius ſit, an majorem vel minorem virium jacturam fecerit Café, propterea facta decoctione, linguâ periculum faciunt, ut, ſi res ita poſtulet, pulveris quantitatem augeant, ad palatum hoſpitum ſe accommo-

commodantes. Præparatum liquorem poculis infundunt per inclinationem ollæ, ne magma fæculentum quod inutile prorsus est, denuo misceatur, decoctum spissius aut turbidum damnantes; damnantes quoq; illorum institutum, qui, ut decoctum spissius reddatur, pulverem Café subinde in aqua agitant, ut pulverem, sicut substantiam Chocolatæ in liquore hauriant, quia, ut dictum, post extractionem pulvis nullius est momenti. Confer Dn. *Blegny* de Café. c. 5. Notatum modò modum commendat etiam D. *Johannes de Muralto* Ephemerid. German. Decad. II. An. 8. Obs. 5.

§. 33. Facit tamen Dn. *Du Four* diversæ à priori Decoctionis mentionem, quam illâ commodiorem pronunciat. Conijciunt sc. quidam præparatum pulverem Café, eâdem dosi, in eandem quantitatem aquæ frigidæ in olla idonea; hanc igni admovent, & decoquunt supra dictâ ratione. Arabibus & Magnatibus in Orientalibus plagis hunc modum magis familiarem esse scribit, præcipue dum iter faciunt & in castris. Dn. tamen *de Blegny* hunc modum plane improbat, quod fieri nequeat, quin, si dicto modo instituatur, volatilium particularum pars evolet & avolet, antequam prima ebullitio fiat. Verum frustra forsan curamus minima. Certe, qua ratione communiter etiam coquitur, opercula ollarum non negant omnem partibus volatilibus exitum: Et quando fervens liquor in poculis ministratur, dum expectant, donec, minuto fervore, sorbilis fiat, nonne etiam ejus, quod evolare aptum natum est, pars, tenues evanescit in auras?

§. 34. Dn. *de Blegny* denique scribit, si nihil velimus omittere eorum, quæ in artis potestate sunt, satius videri, præferre, vel lignis vel carbonibus, dum potus Café adornatur, ignem Lampadis quem vocant, accenso sc. vini spiritu rectificato in fornace argentea, vel ex lamina ferrea stanno obducta, præcipue Anglicano. Totum apparatum figuris repræsentatum vide Tr. de Café c. 5. Ipse tamen paulo post recenset incommoda, quæ hanc vel curiositatem vel luxum sequuntur: qua etiam de causa alium apparatum pretiosum portatilem, incomplete tamen, proponit, cujus supplementa

nos

nos quidem hactenus non vidimus. Memores igitur incommodorum, statuimus etiam hic, quod fieri potest per pauca, consultum non esse, fieri per plura.

§. 35. *Potus* ipse paratus secundum hactenus dicta, debet esse *limpidus*. Quamvis autem dictum, qua ratione talis obtineatur; Dn. tamen *de Blegny* iterum accessiones quasdam suggerit ad notatam diligentiam. Nimirum ut pulvis celerius ad fundum præcipitetur, jubet instillari aliquot guttas aquæ frigidæ, eo ipso momento, quo olla ab igne retrahitur. Deinde vult præferri omnibus Ollam fundi latioris s. amplioris, & cujus rostrum aptatum filtrum habeat, ne quicquam cum pulvere transeat, aut ei inhæreat dum ministratur. Prior illa videtur necessaria, quando periculum in mora: posteriorem vero quod attinet, arbitramur, in hisce etiam nimiam diligentiam nocere non posse.

§. 36. *Coloris* hujus Potus non omnes faciunt mentionem, & inter illos, qui illum indicare voluerunt, non omnino convenit. Primus omnium *Rauvvolfius* loc. cit. *Potionem instar atramenti nigram* vocat. *Johannes Albertus von Mandesto* Itiner. c. XI. scribit, Persis etiam in usu esse pro potu, Aquam nigram Café nominatam. Idem asserit, *Olearius* Itiner. Persic. l. V. c. 17. *Petrus della Valle*. Epist. III. ait. Inter Turcas potum nigrum obtinere, huncque Café appellare. *Dn. du Four*. c. 6. refert, Gallos, præcipue Parisienses, propter nimiam, quam addunt, Sacchari quantitatem, ex aqua nigra Café, facere Syrupum. Idem tamen paulo ante dixerat, debere esse aquam tinctam coloris rubri aut subrubri. (*d'une couleur roussatre*) *Duloir* in sua Relatione vocat rubicundam, (Cahvé, ait, est *une eau rousse*.) Interpres Latinus Tractatus Dn. *Du Four* non semel subflavam aquam vocat. Diversitas autem Tincturæ dependet à modò & gradu torrefactionis & adustionis, cujus illa nunc magis nunc minus particeps, sensu, hodie etiam apud nos, faciente fidem.

§. 37. *Odorem & Saporem* quod attinet, laudatur ab his culpatur ab illis. Qui tamen scapham scapham appellare amant, fatentur, eum esse amarum, ingratum, & adustionem

redo-

redolere. *Petrus della Valle* ſcribit, l. c. Obſcurum eſſe ſaporem: ſi agnoſcendus ſingularis aliquis in illo, ſe neſcire in quo conſiſtat. *Olearius*. lib. V. Itiner. Perſ. c. 17. Ingratum & ambuſtæ rei ſaporem habere, ſcribit. *De Thevenot*. l. c. Potum refert amarum eſſe & aduſtionis participem. *Duloir* in Itiner. Orient. fumum referre. *Eduardus Terry* Anglus & Dn. *de Bourges* l. c. notant, Potum Café palato non arridere, valde tamen ad ſanitatem conferre. Qui in univerſum tenuiter ſentit de exoticis iſtis, Theé, Café, & Chocolata, Dn. *D. Simon Pauli*, poſtquam Potum Theé, ut ingratum amarum, & ſubadſtringentis ſaporis perſtrinxit, ait, *Idem de Chocolata Inda & Cahyvæ Perſarum aqua aſſerendum eſt; & hæc tria decocta palato noſtro vulgo alias non gratiora ſunt, quam vilium pyrorum Europæorum decoctum; & ut verbo dixerim, eine hochteutſche Hoſelbrühe.* Qui tamen à ſuavitate etiam hunc potum commendare ſatagunt, ſubamarum (un peu amer) eum eſſe debere ſcribunt, ut poſt alios Dn. *Du Four*. c. 6. Certi verò, quam plurimos à ſe impetrare non poſſe, ut ſuave credant, amarum quod eſt, ſuavitatem illi conciliare docent, comuniter quidem ſaccharo, rarius Caryophyllis, Cardamomo, ſed in modica quantitate, quia major quantitas addita virtutes Café imminuit, perſuaſum habent. Unde *Du Four* Gallorum & præcipue Pariſienſium morem perſtringit, quod potionem limpidam in Syrupum nigricantem convertant; quod reſpuant amarorem, & Saccharum ipſis ſit magis ad palatum. Qui delicias & voluptates amant, ſingulis pocillis admiſcent aliquot guttas eſſentiæ Ambræ, aut ſacchari Ambræ fragrantiâ impregnati modicum. Argumentum pro ſuavitate nullum duci poteſt inde, quod, quamvis potus Café plerisque omnibus, quando periculum faciunt, aut ſorbillare illum ſatagunt, propter amarorem non arrideat, attamen aſſueſcant ei facile, & poſtquam aſſueverint, amarorem collaudent. Monuimus enim alibi, Aſſuetudinem ingratos etiam ori conciliare ſapores, naribusq; odores, declarantes illud exemplo Cereviſiæ, Nicotianæ, Caſei antiqui, & quæ ſunt ſimilia.

§. 38. Hunc etiam Potum *calidissimum* sumendum omnes vel exemplo vel præcepto docent, quod quo calidior potus ille, eo salubrior: Unde ferventem offerunt, ut calidus potetur. Eundem etiam potum non pleno haustu aut continuâ serie bibere, (qui Græcorum forsan veterum & Romanorum mos fuit, apud quos in lautis etiam convivis *Calidæ* locus & honor fuit, quæ & in thermopoliis publicis quotidie placuit, ut in Dissert. de Potu calido notavimus,) sed *sorbillare* seu minutatim paulatimq; sorbere, exemplo suo docuerunt Orientales, & didicerunt Europæi. Ratio forsan moris & præcepti est, quod hâc liquor ille ratione calidior in ventriculum admittatur, cum continuâ serie haustus, læderet partes oris & faucium. Curiose designat, Dn. *du Four*, quomodo os componendum, ne lingua vel illius partes adurantur, dum monet, extremitatem poculi inter labium inferius & superius ita admovendam ori, ut labio non innitatur, sorbitio tamen fieri queat. Idem satagit explicare, quare potus Café præcalidus minus lædat partes oris, linguæ, quam aqua simplex eodem gradu calida, dum suspicatur, hoc accidere, quod nobilior portio pulveris in potu limpido remanens, vim penetrandi impediat. Sed priori quidem illa cautione opus non esset, si propter subtilissimam pulveris, quam clarus liquor retinet, substantiam, vis penetrandi in eo imminueretur. Et profecto cum illa summa potus activitate, quæ tantopere aliâs celebratur, proprietas quidem illa male cohæreret.

§. 39. Quoniam autem ita calidissimum ad tolerantiam sorbillare hunc liquorem mos est, & quidem minutatim & paulatim, ut dictum, multis, præcipue puellis formæ studiosis & mulieribus, quicquid ad formositatem conservandam facit, conservare cupientibus, hic potus suspectus potest videri, metuentibus, ne sorbitio tantum non fervida, nigrore dentes deturpet, cariem & cætera dentium mala inducat; quia aliâs Pultes ferventes faciunt corrumpere dentes. Verum, post alios, fidem facit Dn. *Du Four*. Orientales sorbitioni calidæ deditissimos, dentes non habere nigriores Europæis,

pæis, aut magis carioſos. Imo monet, contra nigredinem dentium remedium ex ſedimento ſeu pulvere Café ad fundum, dum decoctum paratur, præcipitato, ſicut ex cineribus Tabaci, peti poſſe. Hactenus de potioribus hujus Potus requiſitis.

§. 40. *Cauſam impulſivam*, quare hoc præ cæteris potus genus placeat Orientalibus, jam olim expreſſit *Veſlingius* ad cap. 16. *Proſp. Alpin.* de Plantis Ægyptiorum, quando ſcribit; *Potus ex hujus ſc. fructus decoctione paratus aliquot mille tabernis in Urbe Memphi divenditur, quem adhuc calentem ingens hominum multitudo pitiſſando ſorbillat, ſive otij ſui oblectamentum ſive bonæ valetudini firmamentum quærat, præcipueq; quum Cor aut Ventriculum languor occupat,*

Stomachoq; tumultum
Lenta parit pituita.

Nimirum vel oblectationis & otij fallendi causâ, vel ſanitatis ſeu conſervandæ ſeu recuperandæ causâ, hoc potus genus aliis præferunt. Seu, quod idem eſt, vel Medicè vel otiosè bibitur, ut loquitur Dn. *Willis.* de Anim. Brut. Part. II. c. 5.

§. 41. Non legimus, etiam ubi fructus naſcitur, vel recens ex loco natali recipitur, in pulmentum eum coqui, inſtar fabarum vel phaſeolorum aut piſorum, aut pulmentarem cibum ex farina illius conſici; ut omnino crederem, pro eſculento apud Orientales omnino non admitti, niſi Dn. *Veſlingius* certiores nos reddidiſſet, *Non deeſſe inter Ægyptios, qui nucleum fructus integrum Saccharo incruſtatum inter bellaria ſua debellent.* Obſ. ad c. 16. Proſp. Alpin. Curioſus equidem nuper Dn. *du Four* hac de re dubitans, conſuluit nonnullos Amicos, qui diu in locis Orientalibus hæſerunt; illi autem omnes unanimiter affirmarunt, ita ſe rem habere, addentes, ejusmodi Confectionem familiarem eſſe Ægyptiis, & in pretio haberi; ita ut ipſe de re non amplius dubitans, conatus ſit, (quamvis fruſtra) illud bellarij genus imitari v. ejus cap. 8. de Café. Sive autem hoc, ſive illo, ſive iſto modo in eſcam veniat, videtur non niſi alimentum concoctu difficile præbere, ventriculum gravare, ſanguini lentorem & viſciditatem,

obstructiones, in minimis præcipue viscerum vasculis, parere; tanto magis, quia fundum petens pulvis præparatus, continuato usu, simili ratione nocet, ut notat post alios Dn. *Blegny.* de Café. c. 2. Et hoc ipsum videtur insinuare *Dn. Vestingius*, quando Ægyptios Nucleum fructus integrum Saccharo obductum, *inter bellaria sua debellare* scribit.

§. 42. Potum autem quod attinet, quamvis apud primos scriptores altum ea de re silentium, Recentiores tamen tradunt, Turcis plane persuasum esse, illum non sanitatis tantum conservandæ vel recuperandæ causâ commendari, sed & nutritioni inservire & nutrire. Dn. *Du Four.* c. 3. mentionem facit plurium, quos in regionibus Orientalibus habeat amicorum, qui per literas ipsum monuerint, quibus res angusta domi, ob causas œconomicas uti hoc potu; imo esse non paucos in plagis istis opifices, qui haustis mane aliquot poculis Café, & per intervalla deinde uno vel altero, continuent suos labores, nullo per integrum diem sumpto cibo: addit, Maximam partem peregrinatorum hoc confirmare. *Dn. Bernier* in Epist. alleg. de seipso memorat, Postquam per assuetudinem ipsi placuit potus Café, se deprehendisse, quod multum nutriat; addens, hausto mane poculo paulo majori hujus potus, qui faciunt iter, ad 7. ad 8. horas cibo carere posse: hinc non Cursorem, non Militem esse, qui non compendioso apparatu pro potu Café sit instructus. Et qui nutrire illum asserunt, tradunt, Café oleaceum qui in eo est succum, non tantum fermentum stomachi attemperare, vellicationem membranarum minuere, & appetentiam ciborum aliquantum suspendere, sed & aptum natum esse, qui in succum nutritium convertatur. annotante Dn. *Du Four*: In & cum lacte nutrire, imo pinguefacere etiam Europæos, scripsit ad Dn. *Du Four*, celebris Medicus Gratianopolitanus. *D. Monin.* & exemplis s. Experientia assertionem confirmat. In Europa tamen agnoscunt iidem nutriendi vim minus evidenter observari, quod sc. dum ex remotissimis à nobis regionibus, in nostras importatur, oleacei succi fiat jactura. *Dn. Bernier* in Epist. cit. refert, se per sesquiannum quo versabatur in

Ægy-

Ægypto, abhorruiſſe à potu Café: Cum vero per ſpatium 5. vel 6. ſeptimanarum, in Arabia Felice, Louhajæ & Mokæ degeret, ſe amore illius mirum in modum captum, illumq; hauſiſſe ſine ſaccharo: quod ſc. ibi longe, quam in locis aliis remotioribus, præſtantius ſit Café, quia recentius. Cum fructus ſe habeat ſicut Amygdalæ aut fabæ noſtræ, quæ ſi diu aſſerventur, multum de ſapore omnino exſiccatæ amittant.

§. 43. Nos de fide hiſtorica minime dubitamus; & quod de preſſis egeſtate, Opificibus, Curſoribus, Militibus in Oriente commemoratur, libenter accipimus, & dictâ ratione illos, minus latrante Ventriculo, facilius tolerare famem, facile intelligimus. Cum vero Nutritio vera, ſit Alimenti beneficio viſcerum accommodati, in ſubſtantiam corporis nutriendi converſio; an potus ille in ſuccum nutritium & ſubſtanſtantiam ipſius corporis converti aptus natus ſit, equidem dubitamus, ſi in memoriam nobis revocamus, quantillum ſit id, quod in methodica decoctione Café, pulvere fundum petente, præter ſpiritum & ſal volatile in aqua ramaneat, quod aptum, natum ſit, converti in corporis Subſtantiam. Magis propterea placet nobis *Dn. D. Joh. Nicolai Pechlini* aſſertio; *Hunc potum minus alibilem, magis medicatum eſſe.* (*v. Theoph. Bibacul.*) quam illa *Dn. de Blegny. Hunc potum eſſe Alimentum medicamentoſum.* Nam Alimentum medicamentoſum exuperante, ut *Fernelius* loquitur, qualitate, corpus alterandi vim habet, ut Lactuca, vinum generoſum, cotoneum malum, ſed magnam partem faceſſit & convertitur in nutriendi corporis ſubſtantiam, atque ita illud alit, imo ætate idoneâ ei incrementum largitur: quod de Café extractione in Potu Café utique dici non poteſt. Quod autem in & cum lacte nutriat, & pinguefaciat, præter experientiam rationi conſentaneum. Nam dulcis ille candicans ſuccus, à natura ipſa in uberibus nutritoni accommodatus, ſi virtute Café impregnetur, quia hæc digeſtionem diſtributionemque juvat, tanto felicius nutrit & auget corpus. Aliâs denique caute agunt, qui vim nutritoriam in Europa non admodum jactant. Ratiocinium Domini *de Blegny.* c. 2. quando inſinuare nobis ſatagit, in Potu Café, eſſe particulas pin-

gues & æthereas, has dulcem Lacti unctuositatem conciliare & se unire cum butyrosa Lactis parte, non sequestratâ serositate, quod particularum ætherearum prædominium arguat, satis commode explicamus, tribuentes Lacti quod Lactis est.

§. 44. *Oblectationis & otij fallendi causa* placere, nisi sensus jam apud nos fidem faceret, intelligeretur, quod inter Historicos & celebriores peregrinatores, qui observationes suas literarum monumentis hac de re consignarunt, conveniat, Orientales populos, præcipue Turcas, non tantum in privatis suis ædibus, potum Café in quotidiano usu habere, sed & urbanitatis partem non minimam constituere in congregationibus, congressibus amicorum, cum deesse officio videretur, qui in honesto congressu Café non offerret; eosdemque thermopolia seu tabernas *Cavehane* dictas, quæ plures in præcipuis Urbium locis noctes atque dies patent, frequentare, & uno eodemque die iterum iterumque in illa se conferre; in eodem thermopolio diversissimi status & conditionis homines accumbere, & inter confabulationes varias tempus terere; quosdam de negotiis ad rationem status, ut loquuntur, pertinentibus, de revolutionibus Imperiorum, de pace, de bello, sermones miscere, alios hilaritati indulgere, facetiis jocisque provocare alios, alios lepore sermonis & urbanitate certare: Imo Dominos tabernarum ita illas instruere & in iis adornare omnia, ut nihil desit ad plenam commoditatem, & eam, quam quærunt non pauci, voluptatem: Eum in finem eosdem alere Musicos, tum vocales tum instrumentales, qui sorbillantibus placeant, ut diutius hæreant, sæpius redeant, aliosque in societatem pertrahant: Nunquam deesse frequentiam dictis in tabernis, inprimis tamen horâ tertiâ promeridianâ ad quartam, quod tempus precibus destinatum est, populum catervatim ruere ad illas, tanquam ad delicias quibus carere non possint: Apud Magnates etiam in officiis urbanitatis exhibendis, & gratia designanda, illius magnam partem constituere oblatam sorbitionem: imo supremos Imperij ministros æque ac cives, omnibus quos gratiose excipere vo-

re volunt, ſorbitionem Café offerre. Ipſum magnum Viſirium nullum Legatum admittere, cui non, præter cætera, offeratur ſorbitio Café, cujus omiſſio indignationem indicaret; quæ pleraque annotavit Dn. Philippus *Sylveſter du Four.* in Tract. de Potu Café, ſubjunctis verbis vel verborum verſione autorum, ex quibus illa, quæ non propria experientia vel amicorum oculata fides ſubminiſtravit, habet. Sunt illi, *Proſper Alpinus*, de Plantis Ægypti, & de Medicina Ægyptiorum. *Johannes Veſlingius* in Obſerv. & not. ad illum. *Petrus della Valle*, Patricius Romanus in Epiſt. Dn. *de Thevenot* in Relation. hiſtor. *Eduard Terry* Anglus in Relation. *Duloir* in Itinerar. *de Bourges* in deſcriptione Itineris Epiſcopi de *Beryte.* Quibus tamen addenda, quæ ante omnes habet *Leonhardus Rauvolfius*, in Itinerario. *Johan. Veſlingius* in Epiſt. ad Patr. Athanaſium Kircherum, n. 55. *D. Dapper* in deſcriptione Arabiæ, Belgico primum, deinde Germanico idiomate edita.

§. 45. *Valetudini firmamentum* in hoc potu quærere, ut loquitur Dn. *Veſlingius*, vel Sanitatis conſervandæ causâ famimiliarem ſibi eum habere Orientales, tradunt ſupra notati authores, & hoc nomine, Mahometanos præcipue, omnes, omni mane, Nobiles & plebejos, Mares & feminas, Pueros, Juvenes, Viros & Senes, omni anni tempore, niſi quando religio vetat, aut aliud quid obſtat, poſtquam ſurrexerunt, fuſis precibus, ſive ſint domi ſive foris, vel iter faciant, unum & alterum iſtius potus pocillum, quæ Fingeans nominant, exhaurire, non jejunos, quia officeret ſanitati, ſed poſtquam edulium aliquod aſſumſerunt: non in prandio ſed poſt prandium. Magnatibus quoniam prandium in ſecundam poſt meridiem horam differtur, opipara jentacula adparari, poſt quæ demum illi Café ſorbillant; Mercatores etiam & opifices ante ſorbitionem manducare buccellam panis hunc in finem parati, qui in quibusdam regionibus *Futier*, in aliis *Quaqui* nominatur, & pani biscocto forma latiori non eſt abſimilis: imo omnes ſorbitioni matutinæ præmittere cibum aliquem; propter quam cauſam omni mane multitudo hominum qui panem illum *Futier* dictum, panem biscoctum, panes condi-

men-

mentarios, placentas & ſimilia, divendendi cauſa ad thermopolia convolant, quia potum Café ſorbillare cupientes, omnes eſculentum aliquod præmittere, operæ pretium eſſe plane perſuaſum habeant, adeo ut ſanitatis rationem habentes in proverbio dicant, Si nulla eſca ſuppetat, quæ ſorbitioni præmittatur, globulum veſtiarium ex toga deglutiendum, aut omnino abſtinendum; qua de re ſuo loco. *Petrus della Valle* Patricius Romanus Epiſtolâ III. Conſtantinopoli ſcriptâ, refert, quando plures ſunt unâ, qui Café offerunt ſervos ſingulis ſorbillantibus aliquot ſemina Melonum maſticanda exhibere. Dn. tamen *du Four* fidem non habet Illuſtri peregrinatori; forſan quia apud alios Scriptores & Peregrinatores altum de his ſeminibus ſilentium. Sed forſan ille magis incidit in eos, qui refrigeranti Café potui (habuit enim perſuaſum, duplicem potum Café parari; alterum æſtate refrigerantem, alterum hyeme calefacientem) ſemina Melonum refrigerantia, illa maſticando, jungerent; quamvis vulgo in alium finem eſculenta præmitterent. Refert ille, ſeipſum in Orientalibus plagis, per æſtatem, refrigerationis causâ, & potum illum ſorbillaſſe & ſemina Melonum eundem ſc. in finem, non ſine ſucceſſu maſticaſſe; quod procul dubio ad imitationem aliorum factum.

§. 46. *In morbis* denique *auxilium ferre* ex mente Orientalium, conſtat etiam ex ijs quæ laudati ſcriptores literarum monumentis tradiderunt; quorum nonnulli non minores Café laudes in morbis attribuunt, (de quibus infra) quam decantatiſſimo Theé potui, de cujus elogiis peculiari Diſſertatione egimus; atq; hactenus quidem de ijs quæ ad Hiſtoriam Potus Café pertinent.

§. 47. *Medicæ autem conſiderationis* ſpecialius ſunt, Café temperamentum, qualitates & proprietates, unde mirabiles effectus dependent. Agnoſcimus enim temperamenta, qualitates & proprietates in rebus naturalibus, & retinemus eorum nomina, quibus cultiores gentes utuntur omnes, & quibus etiam carere non poſſunt, quibus, quacunque tandem de cauſa, recepta quæ ſunt, tædium faciunt; quamvis inſtitut

noſtr

nostri ratio non permittat, ut ad illam de origine temperamentorum, qualitatum & proprietatum ex primis principiis subinde agitatam, nunquam discussam disputationem dilabamur, quæ quam lubrica sit, abunde ostendit Vir ingeniosissimus & eruditissimus Dn. *Robertus Boyle*, in Chymista suo Sceptico.

§. 48. De Temperamento verò, vel potius qualitatibus eminentibus Café, authores non videntur satis distincte locuti. *Prosper Alpinus* de Medicin. Ægypt. lib. IV. c. 3. hæc habet. *Illius Decocti facultas est frigida & sicca, quoad qualitates primas temperata, cui etiam mista est caliditas, quando illa semina ex duplici substantia constant, altera crassâ & terreâ, quâ cogunt & roborant; alterâ calida in tenui substantia fundata, frigidæq; modice prævalenti, quâ calefaciunt, abstergunt, obstructaque aperiunt.* Johannes *Veslingius* ita. *Qualitatum quas manifestas vocant, harmonia in hoc fructu dispar est. Cortex enim frigidi particeps, cum exsuperante tamen siccitate; nucleus vero moderate calidus. Ille levi quadam aciditate, hic evidenti amaritudine linguæ sensum haud inclementer afficit. Itaq; nec stomacho nauseam infert, quantumvis decoctum largius sumatur, nec intensiore caloris gradu eidem infestum est; saltem modice torrefiat, atq; in marmore pistillo ligneo contusum sit. Corticis decoctum inter æstivos ardores rectius febricitantibus exhibetur: rursumq; cum frigidi & crassi succi, viscera communesq; corporis ductus noxio infarctu impediunt, alterum è tosto contusoq; nucleo præferendum est, haud neglecto tamen utriusque, cum id usus exigit, temperamento.* Dn. *Olearius* (quem sequitur Dn. D. *Simon Pauli*) lib. V. c. 17. scribit, famam esse apud Persas, Café admodum refrigerare & sterilitarem refrigerando inducere, Venereosque stimulos extinguere. Dn. *du Four*, ad probandum, Café torrefactum temperatum esse, probabilem nexuit rationem, quæ interpretis verbis talis est. *Temperatæ Café qualitatis ratio haud difficilis disquisitionis est. Café naturâ suâ species est quædam leguminis, glutinosi & terrestris, quod ipsum in alimentum sumtum, sanguinem crassum & viscidum efficiendi, consequenter refrigerandi vi tantummodo polleret. Sed cum torrefit, phlegmatis pars consumitur, spiritus exaltantur, unde ejus particulæ subtiles*

tiles & vellicantes fiunt. Interim quia Torrefactio haud vehemens est, & particulas terrestres satis adhuc superstites habet, quæ actionem præpediant, effectus moderatus & temperatura inter calorem & frigus mediæ eveniat, necesse est.

§. 49. Nos, memores grana Café ut exsiccata, nunquam recentia, ad nos perferuntur, nullo odore vel sapore eximio, factâ masticatione periculo, se commendare; de coctis etiam & in alimentum sumptis, nulla apud nos institui posse experimenta, & in annosis frustra institui, crassitiem autem & siccitatem in illis manifestam esse, ut, siquidem in escam venire deberent, crassum, solidum, siccum, terrestre alimentum videantur subministrare, notamus in illis nulla eximij caloris indicia se prodere. In granis autem Café tostis & adustis quis de calore & siccitate amplius dubitabit? *Si Non comedas crustam, choleram quia gignit adustam,* quid non de granis istis per tostionem adustis erit præsumendum, in quibus empyreuma est manifestum? Amaror (caloris index) etiam & adstrictoria vis tostione manifeste illis conciliatur; sicut eâdem idem ratione accidit in pane tosto, hordeo tosto, avena tosta, in aqua pane tosto correcta, cerevisia ex hordeo tosto parata. Propterea, posito quod in exsiccatis Café granis spiritus sint immersi, vel, ut Dn. *Willis* loquitur, depressi (qua de re deinceps videbimus) ita ut activitatis nulla indicia se prodant, per tostionem autem iidem vinculis solutis, liberiores exaltentur, unde majorem activitatem & aptitudinem penetrandi, & penetrando partes afficiendi, acquirant; particulæ certe terrestres superstites, ut facile secedant, (sicut ex decoctione de qua §.32. apparet.) reformatæ, activitatem spirituum evolutorum & calorem illorum vix eo usque frangere valuerint, ut temperata potius quam calida dici debeant, & eorum effectus omnes moderati. Nemo facile in corpus admiserit pulverem tosti Café, quia siccitas, calor ex adustione & ipsum empyreuma in eo adeo evidentia; quæ omnia daclarant eminentes in tosto Café sive integro, sive in pulverem redacto, qualitates quas primas vocant, esse calorem & siccitatem.

§. 50. Denique alia iſtarum qualitatum attemperatio n Potu Café, quando nimirum per toſtionem præparati & in pulverem redacti Café modica admodum quantitas, aquæ reſpectivè copioſæ, qui mos eſt, incoquitur, quæ hinc amaroris & adſtrictionis fit particeps: Atque ita ex quo Café innotuit & potus ex illo adornatus placere cœpit, varia à variis intentione quæſitum fuit, an hic calefaciendi an refrigerandi vim habeat? Omnes autem in hac quæſtione reſpiciunt ad corpus humanum, id quærentes, an hoc calefaciendi an refrigerandi vim habeat? Nam quamvis nonnulli comparationem cum aliis potulentorum generibus inſtituant, & potum Café, ſi comparetur cum vino, ſpiritu vini, & ſimilibus, frigidum; ſi comparetur cum Aqua ſimplici puteali vel fontana, ptiſana aquoſisque potionibus aliis, calidum pronuncient; illa tamen comparatio ad inſtitutum noſtrum non pertinet, niſi quatenus involvit reſpectum ad corpus humanum. Quod ſi, ut ſenſum conſulamus, ex Potatoribus Café, qui omnes, uſu edocti, dignoſcunt calidum à frigido, ſciſcitemur, an ab uſu illius incaleſcant, an ſe refrigerari ſentiant? modo incides in eos, qui hoc, modo in alios, qui illud conſtanter aſſerant. Imo invenias, qui fidem faciant, ſe nunquam evidentem aliquam alterationem ex uſu illius percepiſſe, niſi quam aqua calida facit. Solus, quantum ſcio, *Petrus della Valle* Tom. 1. Relat. aſſerit, hunc potum æſtate frigefacere, hyeme calefacere. Si autem ad rationem nos recipiamus, illa, quoniam pulvis Café præparatus manifeſte calidus & ſiccus, ut ſupra probatum, illi incoquitur, & eundem amaroris & adſtrictionis participem facit, calefaciendi hunc vim habere, ut cætera amara, ſuadet? imo, cum aqua reſpective copioſa, magmate fundum petente, clara maneat, ex tenuiore potiſſimum ſubſtantia, volatili, magis mobili, calidiore vel, ſi ita vis, ſpirituoſa, tincturam & quæcunq; habet, accepiſſe, veritati eſt conſentaneum.

§. 51. Quod igitur, quæ rationi obſtare videntur, ſenſus & Experientiæ teſtimonia adeo diverſa attinet, illa forſan omnia trahunt, aliquid ex vero, nec tamen rationes pro

calore & ſiccitate Café adductas deſtruunt. Corpora humana in genere temperiem calidam & humidam habere dicuntur; hoc tamen non obſtat, quo minus, comparatione factâ, alia ſanguinea, alia cholerica, alia phlegmatica, quædam etiam melancholica dicantur, omnia intra latitudinem ſanitatis comprehenſa. Horum corporum reſpectu continuatus Café potus, ſicut continuari mos eſt, videtur ea omnino calefacere, modicus modice, exceſſivus immodice. Atque ita magna pars potatorum ſe ſenſum potius caloris quam frigoris obſervare, aſſeverant. Quæ vero p. N. corpora ſunt Phlegmatica, Bilioſa, Melancholica, illa aliâ atque aliâ ratione refrigerari & calefieri poſſe à potu Café, rationi videtur conſentaneum. Nam quod Phlegmaticos v. g. & Melancholicos attinet; quoniam uſus aquæ calidæ Café virtute impræ̃gnatæ continuatus, pituitoſos, lentos, viſcidos aut tartareos, ut vocant, humores attenuandi diſſolvendique vim habet, humores quidem illos ad excluſionem diſponit, ſanguinem autem mobiliorem & ad ſpirituum emerſionem reddit aptiorem: hinc intelligas, quosdam etiam non bene ſanos recte aſſerere, ſe ab uſu hujus potus incaleſcere. Qui vero præcalido ſunt p. N. temperamento & æſtu humorum infeſtantur, eorum calorem p. N. hoc potus genere minui intelligimus, ſicut aquam aut liquorem ebullientem alium affuſione aquæ tepidæ aut paulo calidioris, videmus ſtatim detumeſcere, & minuto calore quieſcere. Qui, poſtquam ſtrenue litarunt Baccho, incendio viſcerum laborant, illos mutato victus genere, potum Café ingerentes, facile audias querelas afferre, de languore ſtomachi & alteratione corporis, non ſecus ac ſi aqua ſemine Aniſi, fœniculi, Cinamomo & ſimilibus correcta iisdem commendatur. Hinc admirationem non omnem ſuperat, quod inter Bilioſos, Phlegmaticos, Melancholicos reperiantur, quibus conveniat Potus Café. ut annotavit Dn. *de Blegny*. c. 2.

§. 52. Qui ſe ab uſu potus Café nec incaleſcere nec refrigerari jactant, videntur minora alterationum diſcrimina negligere. Quod autem aſſertionem *Petri della Valle* concernit,

cernit, ipſe Non Medicus, forſan ad diſcrimina potionum non ſatis attentus, ex aliorum relatione illud habuit. fidem relationi negat Dn. *du Four*. c. 8.

§. 53. Qui cultro Chymico anatomiam Café adornarunt, vegetabile hoc in diverſiſſimas ſubſtantias, quarum antea vix veſtigia obſervabantur, ſeparaverunt. Quâ methodo quâve ratione ſenſibilia prima impetrentur, Dn. *Du Four* fusè ſatagit enarrare. c. 8. Tr. de Café. Summa hæc eſt. Se cum Artis peritis, ſemel & iterum, granorum Café ſelectorum libram unam per Retortam vitream lutatam deſtillaſſe, ut eſt Artis; Phlegma, Spiritum & Oleum æquaſſe pondus libræ dimidiæ, Caput mortuum autem quartam partem; unde colligit, alteram quartam partem ſpirituoſam & ſumme volatilem, quamvis juncturæ optime lutatæ fuiſſent, evolaſſe & avolaſſe, tanto magis, quia Laboratorium totum odore Café perfuſum fuit: Oleum nigrum à phlegmate & ſpiritu ſequeſtratum æquaſſe pondus ℥ij. ʒv. quod rectificatum ſubnigrum: Capite mortuo igne vehementiſſimo calcinato, eliciviatione ſalis fixi, inſtar ſalis Tartari acris, ʒj impetratam fuiſſe. Salem volatilem & phlegma non ſatis commode diſſociari potuiſſe: Sal autem volatile copioſum in liquore, ex ſapore peracuto ipſius cognoſci, & liquorem ſale volatili copioſo ita impræegnatum Spiritum vocari. Hæc eſſe, in quæ Analyſis Spagyrica reſolvat grana Café. Unde concludit, magnam partem granorum Café conſtituere, quod totum quantum volatile, unde dependere effectus, qui illis paſſim tribuuntur, poſſimus conijcere.

§. 54. Nos nulli quidem dubitamus, quæ notata modo ſunt, ita prodiiſſe, quia etiam alia v.g. Ligna, Cortices, Legumina, Tartarus, Cornua, hæc exhibent, ſi eâdem ratione in igne tractentur, & tanto magis, quia ex Viri Nobiliſſimi & & Ampliſſimi DN. JOHANNIS BOECLERI, Medicinæ Doctoris & Profeſſoris Publici celeberrimi, Practici feliciſſimi, Chymici curioſi, Fautoris & Collegæ mei honoratiſſimi concesſione, & ſub illius directione, in Laboratorio Ipſius, quod Studioſis Medicinæ, in Chymicis proficere cupientibus,

ſubinde patet, Nobiliſſimus etiam Dn. RESPONDENS, eandem eâdem ratione analyſin inſtituens, ex ℔. j. granorum Café, ſpiritus cum Phlegmate ℥iij. Olei ℥j. deſtillavit, capite mortuo æquante pondus ℥iiij. ʒij. Et ex Café toſti & Calcis Vivæ ana ℥vij. impetravit ſpiritus & phlegmatis ℥iiß. Olei ℥ß.

§. 55. Quæ autem dictâ ratione ex ſubſtantia Café reſoluta oculis ſubijciuntur, non ita accipimus, quaſi juncta illa grana Café ita conſtituiſſent, & ignis hæc eadem ſolum diſſociaſſet, quo inclinare nonnulli videntur; cum ſagaciores Chymici agnoſcant, pleraq; eſſe nova ex apta materia producta ignis, Artis dexteritate & inſtrumentorum aptitudine modificati, qui non ſegregandi, diſſociandi, ſeparandi ſolum, ſed & alterandi, deniq; urendi vim habet. Nec ita accipimus eadem, quaſi non aliâ ratione in alia corpora reſolvi poſſent. Si in aqua ſimplici, ne quidem calida, infundas grana Café integra, paucorum dierum ſpatio obtinebis Tincturam intenſe viridem, in cujus ſuperficie viridis innatat unctuoſitas, quam Oleum forſan non incongrue dixeris, ab eo quod deſtillatio per Retortam exhibet, valde diverſum. Tincturæ illius facit etiam mentionem. *Leuenhöck* in Epiſt. ad Societ. Anglic. An. 1687. Idem ibidem ex fabis Coffi igni admotis magnam copiam Oleoſi ac aquoſi humoris hoc modo ex illis provenire, ſcribit ſe obſervaſſe, modum non addens. Si *Helmontio* fidem habes, operatio Alkaheſt, ut alia corpora, ita & hoc in alias & numero & naturâ diſtinctas ſubſtantias dividet, quam Ignis. Si poſt longam digeſtionem, per alia vaſa, igne moderatiori, reſolvas Café, alios atque alios impetrabis liquores, relicto capite mortuo diverſiſſimo. Si diu coctum in ſubſtantia aſſumeretur in corpus noſtrum, vel nucleum fructus integrum ſaccharo incruſtatum inter bellaria comedunt Ægyptij, ut ſupra notavimus, vel quacunque tandem ratione in eſcam veniat, in ſubſtantias notatis prorſus diſſimiles reſolvi, agnoſcet in œconomia animali quicunque non eſt hoſpes: Nec denique quod in operatione amiſſum eſt, ſupponimus ejusdem prorſus naturæ, cum eo quod vel volatile vel ſpirituoſum monſtratur. Suſpicantur enim in Ar-

ti

tis operibus versati, præter illa quæ sensibus subijciuntur, minimis proximas particulas, quæ ob suam parvitatem invisibiles sunt, per vasorum destillatoriorum juncturas, quamvis singulari studio aptatas & clausas, nullo sensu observatas posse elabi, hasque etiam ex crassiori parte vehementiâ ignis in minima dissipari, & per lutum, utut solicite obductum, agi foras, ut nares feriat empyreuma. Non possunt illi à se impetrare, ut credant, quod operatione amissum est, esse merum sal volatile vel spiritum, cum ea illorum esset quantitas, quæ in tam crasso solidoque corpore supponi nequeat.

§. 56. Hisce cautionibus præmissis, arbitramur, ex analysi Chymica quæ enarrata fuit, aliisque notatis modis elucescere, fructum Café esse volatilitatis & spirituositatis participem, & probabile esse, virtutum, quæ ipsi tribuuntur, Medicarum magnam partem inde dependere; quoniam quæ sale volatili & spiritu præ aliis abundant, maxime activa observantur. Determinationem tamen virtutis specificam, à principio insito seminali petendam esse, asserere non dubitamus, certi, quæ per analysin spagyricam impetrantur, sæpe concretorum suorum naturam retinere, ut loquuntur sagaciores Chymici. Dn. *de Blegny* quidem ex primis principiis seu Elementis satagit rem illustrare, supponens, Elementa corporum mixtorum esse, corpuscula acida, liquida, ignea, ætherea, terrestria, ex quorum, quod variâ figurâ originali sint prædita, associatione & collocatione varia corpora naturalia, variâ inde energiâ prædita consurgant; & in specie postulans sibi credi, Acidas particulas solas punctiunculis afficere linguam, amarore penetrante linguam, concludit, amara quæ sunt, in iis prædominari acidas particulas; cum autem grana Café cruda non sint amara, & ustulata non nisi mediocriter amara, hinc infert, ex modica quantitate acidarum, &, ut indicat solida substantia, copia terrestrium particularum constare; hoc autem non obstare, quo minus habeat etiam multas particulas subtiles, fermentativas & facile separabiles, & quæ

sunt

ſunt ſimilia. Verum, cum ſpeculatio iſta, quæ ob lubricum fundamentum diu Eruditis diſplicuit, non ita pridem autem quibusdam denuò placere cœpit, obſcura per magis obſcura & incerta explicet, miſsâ illâ, ſolum notamus, quando ille amarorẽ ex acido deducit, nos, memores illorum, quæ *Hippocr.* I. de veteriMedicina inculcavit, agnoſcere, non amarorem ex acido, ſed amarorem acido contradiſtinctum. Quando autem idem docet, ſiccitatemPharmaci inſinuare, illud fere nihil corpuſculorum liquidorum, per quæ (niſi omnia me fallant) aquoſitatem notat, habere, hoc nec cum Dn. *Du Four*, nec cum noſtra analyſi ſupra notata conciliare poſſumus, quæ phlegmatis non contemnendam quantitatem exhibet. vide ſupra. §. 53. 54. Nervoſe autem concludit, quoniam potus ille ſitim extinguit, & ebrietatem fugat, illum corpuſculis igneis, quæ alij ſulphur appellant, non abundare; abundare autem terreſtribus à quibus pingues æthereæ facile ſecedant; illis ſc. fundum petentibus; niſi quod levior quædam terreſtreitas cum unctuoſitate & pinguibus particulis maneat: ſequeſtrationis facilis indicia ſumit etiam ex Tinctura illa viridi cujus mentio facta. §. 55.

§. 57. His cognitis de Natura & qualitatibus Café, non immerito quæritur, An bene ſibi conſulant Europæi, dum aſſueſcunt potui Café? Aſſueſcunt illi, quicunque quacunq; tandem de cauſa, eum primùm admittunt, paulo poſt amant, denique quotidianum vel quaſi quotidianum habent. Ita adſueſcere Europæos potui Café, imo magnam partem aſſueviſſe jam, quaſi uno ore aſſerunt, qui Gallias, Italiam, Angliam, Belgium aliasque provincias perluſtrarunt. Hoc vero illorum inſtitutum ſana ratio vix probaverit. Nam cum iis in locis, ubi Lex Mahometis uſum Vini non permittit, Potus Café ejus ſit ſuccedaneum, ſubſtitutum, ἀνιβαλόμενον, induſtriâ & arte inventum & uſu receptum, ad promovendam ventriculi coctionem, aliaque ſanitatis commoda, quæ vinum alias præſtat, quibus eſt copia Vini, & quibus Religio uſum illius concedit, ſicut plerisque Europæis, quî quæſo ſoliciti fuerint de Potu, quem in defectu illius ſubſtituunt alii?

aut

aut quo consilio jungant hunc vino? aut denique præferant hunc potui qui gloria prima potulentorum? Suavitatem vix allegabis, quæ alia non est, quam qualis §. 37. designata. Ob singularem, dixeris, salubritatem Orientalibus perspectam, Europæis revelatam? Respondeo, ne quidem opinione Orientalium, qui Potu Café assueti sunt, præferri vino. Innotuit illa satis abunde, sub Imperatore Selymo, cum ipsis usum vini concederet, ut annotavit *Leonhardus Rauvvolfius.* c. 8. ex cujus Relatione liquet, quod libenter hoc potu carerent, si vinum ipsis concederetur. *Petrus della Valle* Epistolâ III. Constantinopoli scriptâ refert, Quia Vinum Turcis non concessum, de suavitate & salubritate aquarum solicitos esse: multos tamen clam Vinum bibere. Allegat Dn. *Du Four* multitudinem abstemiorum, qui non tantum nullam gratiam in vino inveniunt, sed abhorrent ab illo, nec illud ferre possunt, quibus utique potus Café ad promovendam ventriculi coctionem fuerit utilis. Sed respondeo, quorundam ἰδιοσυγκρασίαν in præjudicium vini allegari non posse, & quoniam illa in iisdem hoc non admittit, vel in hoc potu, vel alia ratione quærit id, quod vinum præstaret. Idem Dn. *Du Four*, dum commendare summopere potum Café allaborat, allegat etiam variis morbis laborantes v. g. febribus, cephalalgiâ, aliis; quibus vinum noxium, Potus Café proficuus. Respondeo, In quibus morbis vinum, quod alias vires insigniter roborat & conservat, noxium est, inter alia succedanea Medici potum Café admittunt: imo non admittunt tantum, sed & propter virtutes quasdam Medicas, quas vinum non habet, in quibusdam morbis insigniter commendant, ut deinceps videbimus. Hinc vero minime sequitur Europæos bene consulere rebus suis, si dictâ ratione potui Café assuescant, ut mos fiat, & deinde bibant, quod mos sit bibere; ut nihil dicam de tota victus ratione Orientalium à nostra valde diversa. Unde, quando ob alias etiam causas, quæ tactæ fuerunt Disp. de Potu Theé §. 20. variis ingeniis hunc potum videmus quotidie placere, & hic opinionum varietas toleranda.

§. 58. Utut autem persuasum plane nobis sit, Europæos, institutum suum, dum vinum promovendæ coctionis ventriculi causa bibunt, permutandi cum Potu Café, causam satis prægnantem nullam habere, attamen non negaverim, esse loca ubi Café vino utilius sit. v. g. in regionibus calidissimis, ubi generosissimorum vinorum spiritus, in corporibus æstuosis nimis mobiles & inflammabiles sunt, & propter subitam spiritus separationem, reliqua substantia acetositate aut tartaro nocet, febres propterea, cephalalgias, hæmorrhagias, pleuritides, peripneumonias faciunt; quæ forsan non postrema ex causis, quare Orientalibus lege Mahometis vino interdictum, quamvis apud Turcas legis sanctitas sola allegetur. Manet E. sua Laus vino, sua Potui Café. Sed sicut vini, potûs medicamentosi, cui Europæi assueti, virtutes in morbis satis perspectæ; ita Potus medicamentosi cui Orientales assueti, quia Europæi per comercia ejus compotes sunt, effectus in corporibus, paulo diligentius in usus nostros expendemus.

§. 59. Antequam tamen de illis agamus specialius, videtur operæ pretium, cum, quæ ad modum aliâs & morem bibendi pertinent, supra fuerint exposita, denique disquirere, quoniam Orientales & Europæi in diversas abeunt sententias, An consultum magis potum Café sorbillare jejuno ventriculo, an post pastum? Supra jam annotatum fuit, Orientales damnare usum hujus potus jejuno ventriculo §. 45. & Dn. *Du Four* c. 3. commemorat illos persuasum habere, liquorem hunc jejuno ventriculo sumptum in bilem converti, ac quicquid in stomacho offendit, in bilem mutare, ventriculum arrodere, lancinare, & extreme debilitare, membris omnibus notabilem languorem inducere, prosternere appetentiam, animum inquietum reddere, mœstitiâ afficere, impatientes reddere, totius denique vires deijcere. Ipse autem in memoriam sibi revocans, Orientales non adeo magnam rerum Medicarum hodie peritiam habere, sustinet dubitare, An consultum sit, in hisce fidem habere illis, eosque imitari, dum nunquam jejuno ventriculo hunc potum admittunt; quod facto periculo, experientia docuerit, in nostris Regionibus

pro-

proficuum etiam fuiſſe potum Café iis, qui jejuno illum ſtomacho ſumſerunt, quamvis agnoſcendum ſit, pluribus prodeſſe poſt paſtum. Noti certe mihi, & Medicis eximiis, quorum amicitia fruor, non pauci, qui jejuno ſtomacho liquorem Café cum pauco ſaccharo ſumunt & à longo tempote ſumſerunt, & bene ſeſe habent. Ex hujusmodi & ſuis obſervationibus, confidenter ſatis, contra morem Orientalium, ſeu ut ipſe loquitur, *Quicquid dicant Orientales*, dum ſummopere commendat potum Café, contendit, quotidie, mane, jejuno ſtomacho, unum aut alterum pocillum ſorbillandum, inſequente abſtinentiâ per duas horas: Ingenue tamen fatetur nullam univerſalem regulam conſtitui poſſe, ob ſubjectorum & temperamentorum diverſitatem, cujus rationem habere, Medicorum ſit.

§. 60. Nos arbitramur, in eo Dn. *Du Four* bene conſulere Europæis, quod eos à nimia ingeſtione ſ. exceſſiva revocet, dum perſuaſum quandoque habent, potum illum, quacunque tandem copia hauriatur, nocere non poſſe: quia ſc. πᾶν τὸ πολὺ πολέμιον τῇ φύσει, ut loquitur *Hippocrates*. Scribit ille equidem, quocunque exceſſu hujus potus peccetur, non oriri hinc Cephalalgiam nec temulentiam, nec nephriticum malum, nec arthriticum; ſed tamen alia incommoda ex immodico uſu ſuccreſcere, ex ſequentibus patebit. 2. Sufficere plerisque omnibus unum, vel unum & alterum poculum, forſan in rigore accipiendum non eſſe. Nullus dubito, eſſe qui tria pocula eâdem εὐφοείᾳ exhauriant, ac alij duo. Poculorum etiam non eadem eſt magnitudo. 3. Tametſi Mahometani nimiopere ſibi videantur metuere à Potu Cafe jejuno ſtomacho; quia iſta ſymptomatum multitudo notata, forſan paucis viſa ab hac cauſa; attamen veriſimile eſſe, Experientiam ipſis hunc metum incuſſiſſe; Ipſos ſc. obſervaſſe, mane, jejuno ſtomacho ſumpto potu Café, & continuato hoc illius uſu, quosdam fuiſſe emaciatos & male ſe habuiſſe; nimirum qui ad ſiccitatem proni erant, & ad marcorem proclives. Nam & in noſtra regione obſervatum, ſi tales jejuno ſtomacho illum aſſumant, continuato hujusmodi uſu emaciari,

ciari, saltem magis quam si à pastu eundem sorbillent. Si rationem petis, revoca Tibi in memoriam, in quæ Grana Café resolvi, ostendimus. Eorum memor. D. *J. J. Waldschmidt*, ait *In Hectica præfertur Potus Theé potui Café; in hoc enim Sal est magis acre & adustum.* Med. Rat. cas. 74. Revoca etiam Tibi in memoriam, Potum Café ut succedaneum Vini fuisse inventum: Sicut vinum jejuno stomacho haustum summopere siccat & extenuat designatos potatores, ita & potus Café. Sed confirmatur hoc ipsum annotatione Dn. *Du Four* c. 13. quod sc. Uno ore Peregrinatores asserant, ubi in Turcia Mahometani vino abstinentes, Café autem non nisi à pastu aut saltem post assumptum aliquod edulium, sorbillantes, & Græci nullam Café rationem habentes, Vini autem generosioris imo Spiritus Vini Potatores strenui, easdem incolunt urbes, eosdem pagos, illos quidem esse pingues, carnosos, bene sanos, robustos, non tamen ventricosos: hos vero macilentos, subflavo faciei colore, biliosos, animo ad excandescentiam prono. Sed ea de re inferius plura.

§. 61. Quando denique ad usum in morbis Medicum pedem promovemus, quem jam supra cœpimus agnoscere, quia quæ contra abusum afferuntur, ad illum non spectant; notamus I. in genere, esse, qui elogio prædivite Café Medicamentis polychrestis annumerant, & tantum non Medicinam Universalem constituunt. Recentiores autores qui de viribus Potus hujus etiam agunt, post *Prosperum Alpinum & Johannem Veslingium*, consentiunt, præter virtutes quæ passim celebrantur, innumeros optatos in corpore & morbis producere effectus. *Dn. Thevenot.* l. c. scribit, secundum receptam Turcarum opinionem, remedium esse Café ad omnis generis morbos, & ad minimum tot Virtutibus Medicis præditum esse, ac Potui Theé tribuuntur. *Petrus della Valle* l. c. asserit, Ex mente Turcarum singulariter ad sanitatem conferre, & habere omnes virtutes, quæ in herba Theé laudantur, & plures insuper alias. Confer Dn. *Du Four* c. 8. & Dn. *de Blegny* c. 2. fin. II. Magnam partem laudis tribui Café, quæ est aquæ calidæ, cujus elogia nos in Dissertationibus de Potu calido recensuimus,

mus; ſeu Café tribui quod vehiculi eſt. Si impetrare poſſemus, ut Decoctum Betonicæ vel Veronicæ, vel Roſmarini, vel Salviæ, conciliatâ ſuavitate, noſtrates calide haurirent eadem methodo, ego quidem nullus dubito, quin laudes iſtorum vegetabilium inſignes acceſſiones eſſent habituræ. III. Quoniam exotica ejusmodi præ domeſticis placent; & quia placent, cæteris paribus, aliis præferuntur; & Medicis ſæpe eundum, quâ itur; & ſecundum *Hippocratem* etiam, Aph. 17. Sect. I. dandum aliquid conſuetudini; ideo operæ pretium eſſe, quibus præcipue in morbis & Ratio & Experientia uſum noſtri potus probet, diſquirere.

§. 62. Meritò autem, primo loco, notamus ejus uſum in *Intemperie* totius corporis, & viſcerum præcipue illius utilem. In ſpecie *in frigida & humida.* ſc. ubi multum phlegmatis colligitur, & vinum vel non ſuppetit, vel lege prohibitum, vel aliud quid uſum illius excludit, ſalutaris hic potus non poteſt non æſtimari, ſi illius qualitates & analyſin memoriâ recolamus; actualem enim & potentialem calorem ad corrigendam illam intemperiem conſpirare, Regula contrarietatis nobis inſinuat. Hinc obſervatio Dn. *Bernier* Epiſt. ad Dn. *Du Four*, quod Turcæ, qui plerique temperamenti frigidi & phlegmatici, quibus religio vinum non concedit, quique leguminibus, lacticiniis, fructibus potius, quam carnibus veſcuntur, pane non fermentato utuntur, à potu Café quotidiano bene ſeſe habeant. Recte E. ſcripſit. Dn. *Henricus Mundius*, Medicus Anglus, *Coffa moderate ſumpta, eis qui ſunt frigidæ conſtitutionis & plenioris corporis habitus, ſæpè prodeſt.* Dn. *de Blegny* monet, ubi, ad digeſtionem & expulſionem impuritatum contumacium, natura opus habet aucto & quaſi febrili calore, abſtinendum eſſe à potu Café, quod fermenta extinguat, à quibus ejusmodi calor ſuſcitatur. Verum, quî modicus hujus potus uſus fermenta extinguat, aut calorem minuat, nos equidem non videmus, certi, frigore hoc non fieri: Immodicum vero, qui inundationem faciat, ſemper damnamus.

§. 63. In *Intemperie Corporis calida & sicca.* id est, in Febribus, commoda quædam præstare, didicerunt & docent etiam Europæi. *Dn. Monin* Epist. II. ad Dn. *Du Four*, exhibet Sorbitionem Café (interdum cum Aqua Pimpinellæ paratam) in declinatione paroxysmorum febrium intermittentium, aut etiam in febribus continuis circa finem exacerbationis, ut vapores durante exacerbatione in cerebrum elevati, à quibus caput dolet, dissipentur & eliminetur virtute diureticâ in & cum Urina, quicquid salsedinis & acrimoniæ à deflagratione in sero sanguinis relinquitur. Usus hic Café quamvis multiplici experientia apud Nostrates probatus non sit, à ratione tamen alienus non videtur: & quia suffragantem author allegat Experientiam, experimentum facere non erit religio. Nam cum Dissert. d. Pot. cal. quæst. XI. & XII. probatum nobis sit, non nullum Potus calidi in febribus esse usum, virtute Café imprægnatum poculum facile admiserimus, cum non occurrat quod obstet.

§. 64. Porro autem idem annotat, urgente in paroxysmo siti, pocillum Café sitim melius extinguere, quam aliquot pocula Ptisanæ frigidæ & exemplo rem illustrat. Verum enim vero, quamvis in uno vel altero subjecto ita evenire posse aut evenisse non negemus, attamen paucos reperias febricitantes, qui æstuantes à potu frigidæ sibi temperare valeant, paucosq; Medicos, qui hunc illis negare sustineant; Hinc hi quidem certi, in febrium paroxysmis symptoma, sitim sc. horidam & ipsum morbum Intemperiem igneam, magis urgere, quam quidem causa, satagunt afflictis sine mora solatium ferre, tormentum sitis & extremam calamitatem avertere, concedendo frigidam. Artis enim procerum mens est, satius esse, concessâ frigidâ febrem etiam producere, quam permittere, ut æger magnitudine febris & sitis superetur. Denique idem *Dn. Monin* commemorat, se in Febre quartana intermittente, ingruente horrore & frigore, non sine successu potum Café exhibuisse languentibus, historiâ Illustris Feminæ reconvalescentis usum hunc declarans. Non tamen arbitramur, in principio accessionis Febris quartanæ

posse

posse commendari omnibus, quamvis illis concedatur, quos sitis vehemens excruciat, ut tantum non exanimentur; sicut etiam Dn. *Sennertus* asserit, in Intermittentibus sæpe satius esse, calidum potius quam frigidum bibere, cum citius sudent & minus lædantur, si calidum potius quam frigidum biberint: Et nostratibus non infrequens, ne potu frigido motus Naturæ bene, quantum potest, operantis, subvertatur, notatis ægrotantibus jusculum limpidum calide exhibere.

§. 65. Ad Caput si respicimus, ad *Cephalalgiam* sumopere commendari Café, legimus non semel in supra allegatis, & certiores reddemur, quando authorum verba de vi antihypnotica adscribemus. Dominus *Veslingius* Observ. Epist. ad Patr. Athanasium Kircherum scribit. *Cessit idem*, sc. decoctum, *in emolumentum qnoque capitis, cum non raro per δολεροπάθειαν affici soleat.* Dn. *Du Four.* c. 12. scribit, Frequenti Experientiâ constare, Potum hunc dolores capitis solvere, quod vapores & humores ad caput repentes diffundat & dissipet, novosque oriri impediat: imo esse, qui solo calentis potûs vapore in caput recepto, dolores mitigari observarunt, quod parti ejus volatili procul dubio debeatur. Addit, seipsum crudeli hemicrania per plures annos discruciatum, omnibus quæ Ars Medica alias subministrat, frustra tentatis, ad potum Café, tanquam ad sacram anchoram confugisse & pristinam quietem hinc impetrasse: hancque fuisse causam & occasionem quod elogia Café scripserit: quamplurimos alios à Cephalalgia liberatos usu ejusdem, ubi sc. per consensum stomachi aut intestinorum illa orta: Exempla à Cephalalgia liberatorum potu Café, volumen constituere, si enarrarentur, sicut duo memorabilia commemorat. l. c. si vero à nimis exquisito sensu Membranarum cerebri, aut inflammatione earundem, aut ab impetu sanguinis, causa maligna & forsan aliis oriatur dolor, hunc effectum ab illo sperari non posse. Exemplum inveteratæ Cephaleæ in Viro maxime Reverendo per potum Café extirpatæ legitur Ephemer. N. C. Germ. Dec. II. An. 3. Obs. 198. ad quod Scholion ita habet, *Cum sæpissime viderim laudatissimum Virum, durante paroxysmo, vel post*

eum

eum, evomuisse materiam salsissimam, instar muriæ acerrimam, & fuisse quasi somnolentum adq; actiones torpidiorem, eo tempore quo doleret, facile est intellectu, quo pacto sulphureæ & volatiles Coffi partes, salsuginem istam membranas rodentem attemperarint, & spiritus animales agiliores & subtiliores reddiderint. Et paulo post. *Magis proinde Practici nostrates sibi commendatum habebunt in contumacissimis Capitis doloribus Coffi usum.* Dominus Willis ita, *Pro constitutione frigida & phlegmatica præditis, Cephalalgia sc. laborantibus egenis, & sæpe cum fructu ditioribus præscribere soleo decoctum foliorum siccatorum modo Salviæ, modo Betonicæ, Verbenæ aut Rosmarini in aqua fontana factum & dein tincturâ pulveris baccarum Coffé impregnatum, bis in die ad* ℥vj. ℥viij. *calide sumendum.* de Anim. Brut. Part. II. c. 2. Inter ea, quæ instar omnium sunt in Cephalalgia, potum Café numerat Dn. *Joh. Jac. Waldschmidt* Prax. Med. Rational. c. 1. Ex his, & intellecta pharmaci natura, manifestum est; quod & in quibus Cephalalgiæ speciebus & quibus de causis, Potus Café in usum trahi queat.

§. 66. Porro, quoniam Café partim impedire, ne Vapores adscendant in cerebrum, partim purificare qui in cerebrum recepti sunt, traditum est, in *Vertigine*, ubi vapores motum spirituum vitiantes accusantur, commendari posse, intelligimus, & commendasse vertiginoso legimus Dn. D. *de Muraldo*, Ephem. Germ. Dec. II. An. 8. Obs. 5. *In Apoplexia* commendat Dn. D. *Joh. Jac. Waldschmidt* in Notis ad Praxin Barbetianam. c. 2. *In auditus difficultate*, idem. Medic. Rationcas. 12. Et quicunque vaporibus ad caput adscendentibus deprimendis accommodatum hunc potum agnoscunt, materiam *defluxionum* ita non admitti ad caput, & partes subjectas ab illis præservari, intelligunt. Istius in defluxionibus usûs præ cæteris, facit mentionem *Petrus della Valle*. l. c. adde quæ infra de Catarrhis adijciemus.

§. 67. Populi Orientales referente Dn. *du Four*, c. 12. existimant, non solum ad capitis affectus mitigandos usu interno prodesse, sed persuasum habent Experientiâ suffragante, quod ex potu Café calido in *oculos* admissus vapor, illi male affectis opem ferat. Hinc morem obtinuisse, ut magn.

par

ars potatorum, quando ſorbitio Café fervens in poculis illis offertur, antequam ſorbillent, illa oculis admoveant, ut iis vaporem excipiant, illo viſum acui credentes. Quidam etiam, eodem annotante, affectu aliquo aurium laborantes, eodem modo liquorem ferventem auribus admovent, & vaporem ſ. halitum in aures admittunt, ac ſolatium inde ſibi pollicentur.

§. 68. Inter præcipuas autem laudes Potus Café celebratur, quod *arceat ſomnum, & narcoſin pellat*; imo inter primas; quia, quamprimum, ut §. 23. relatum, prima ſuſpicio Monachis ibi nominatis à cuſtode Camelorum vel Caprarum ſuggeſta fuit, periculo facto, illi ſtatim deprehenderunt, decocto illius ſomnum averti. Recentiores Peregrinatores, qui primis illis diligentius videntur excuſſiſſe naturam fructûs hujus, iſtam enarrant tantum non omnes. *Petrus della Valle.* l. 2. ex fide Turcarum, ſcribit, ſoporem poſt cœnam fugare, & ideo qui ſtudiorum causâ vigilare cupiunt, ſeſe hâc potione præmunire. Dn. *de Thevenot*, in hunc ſenſum ſcribit, *Potio illa impedit ne vapores adſcendant à ventriculo ad caput, & per conſequens tollit capitis dolorem, & avertit ſomnum. Quando Mercatoribus noſtris exarandæ plures literæ, ipſisque animus eſt, totam noctem laborem continuare, unum & alterum pocillum Café ſumunt.* *Edouard Terry* recreare & excitare animum & ſpiritus, tradit. *Duloir* aſſerit, impedire ne vapores adſcendant in cerebrum. Dn. *de Bourges* ſcribit, purificare vapores cerebri. *Dn. Bernier* in Epiſt. ad Dn. *du Four* refert, Expergefacere, exhilarare multumque corroborare, vapores retundere, capitisque torporem & ſomnolentiam avertere. Dn. *du Four* allegat cujusdam *Dn. Daples* literas, qui ſcribit, Majorem partem eorum, qui de Café aliquid literarum monumentis conſignarunt, in eo convenire, illud habere vim arcendi ſomnum & excitandi à ſomno. Dn. *Willis* Anglus, cui nil quidquam ad plenam Experientiam defuit, hunc potum Café conſtituit Medicamentum antihypnoticum, quod ſomnum intempeſtivum arcet & narcoſin pellit, & nos reddit vigiles, aſſerens, *poſtquam à nuperis annis hic potus*

in Anglia in morem abiit, virtutem ejus pro somno abigendo, fere nullum esse, qui non, experimento facto, satis efficacem persentiat; unde naturâ pharmaci probe excussâ, quam plurimis consilium Medicum petentibus, illud comendavit. *Quoad cerebri*, inquit idem *& nervosi generis affectus, existimo me, ad eos interdum curandos, hunc potum adeo frequenter præscribere, ut non alius quispiam magis: quippe ad Tabernas, ubi venditur iste, Ægrotantes quosdam potius, quam ad pharmacopolia ablegare soleo.* Pharmac. Ration. Sect. VII. c. 3 & *Profecto in morbis & agritudinibus plerisq; Cephalicis, viz., Cephalalgia, vertigine, lethargo, catharro & similibus, ubi cum pleno corporis habitu & temperamento frigido, aut minus calido, atq; sanguine aquoso, adsint cerebrum humidius ac spirituum animalium segnities & torpor, potus Coffee magno sæpe cum fructu sumitur; nam assidue haustus utramq; animæ partem mire clarificat & illustrat, atq; functionum quarundam nebulas omnes dispellit.* Ita de quæstione An? nullum dubium.

§. 69. Causam autem hujus virtutis antihypnoticæ & modum ejus agendi, plene & plane forsan nemo adhuc exhausit. Dn. *de la Closure*, celebris Medicus apud Dn. *du Four* c. 12. partem subtilem & spirituosam, de qua ex superioribus certi sumus, ait, participem esse nitri & sulphuris, eamque magnam habere analogiam cum spiritibus animalibus cerebri; hinc hausto potu Café à cœna, celerem fieri spirituum restaurationem; Verum satis certus, cuivis fas esse suppositorum petere probationem, non suffragante analysi supra commemoratâ, facto saltu, ex configuratione minimarum Café particularum elementarium, causam eruere satagit. Minimas sc. partis spirituosæ particulas, asserit ejusdem quasi esse crassitiei ac figuræ, ac sunt illæ spiritus vitalis, ac eundem habere motum: esse præterea magis uniformes & minus dissipabiles, unde caput & actiones cerebri firmentur. Vinum equidem etiam habere ejusmodi particulas, non tamen ita puras, nec quæ ita bene respondeant illis, ex quibus spiritus animalis constituitur. Verum, quis quæso me reddat certiorem de determinata particularum minimarum spirituosæ Café substantiæ, & de spiritus animalis particularum,

cras-

crassitie, figura, proportione, motu proprio &c. Illa mente fingi, in doctrina supponi, ultro etiam recipi, nemini tamen obtrudi possunt, qui veritatis est avidus. Propterea ibidem denuo aliter ratiocinatur, de causa miri effectus solicitus. *Vigiliæ*, ait, *multum Spirituum consumunt*; *Potus autem Café reparat illos: præterea credere possumus probabiliter, Calorem actualem Potus Café. ut sorbillatur, & amarorem illius multum contribuere ad dissipandos fumos seu vapores crassiores chyli; & vim illius diureticam, in & cum urina, vacuare partem istius humiditatis, quæ ad somnum necessaria est.* Sed quæso, nonne multa sunt pharmaca, quæ spirituosa sunt, ventriculo etiam grata, diuretica denique, quæ tamen somnum arcendi nullam vim habent? Sed ecce iterum novum modum? *Interea*, inquit Dn. *Willis*, de Anima Brutor. Part. II. c. 5. *libet hic obiter annotare, propter similem afficiendi rationem (qua nempe sanguinis atrabilarij ac retorridi particulæ adustæ, una cum succo nerveo in cerebrum suffusæ, pervigilium cient) etiam potum quendam Coffé dictum, cum à nostratibus ut medice aut otiose bibitur, somnolentiâ protinus abactâ, vigiliam insolitam, ac facultatis animalis exercitium tam indefessum producere, ut e liquore isto debita quantitate epoto, qui sera nocte, aut statim à compotatione aut pastu uberiori, studiis incumbere necesse habent, usque pervigiles facti, ardua quavis animi pensa sine torpore perficiant: Cujusmodi certe affectus causa est, quod potus iste particulas adustas (quibus, sensu, tum gustus, tum olfactus indice, scatet) mox sanguini, ac dein succo nerveo insinuat: quæ proinde agilitate & inquietudine sua & cerebri poros usque apertos detinent, atq; spiritibus copula quavis alia & narcosi exutis, æstra quædam ac stimulos, à quibus ad munia sua diutius exequenda excitantur, addunt.* Eadem hæc repetit *Pharmaceut. Rational.* l. c. Illustrationis gratia hæc addens. *Ad somnum ineundum hæc duo necessario requiruntur, quorum modo unum, modo alterum in efficiendo prius ac potius existit. Nimirum oportet Cerebri exterioris sive corticis ejus poros & meatus omnes à liquore ibidem, à sanguine velut extillato ac inundante inferciri plurimum ac impleri, proindeq; occludi; dein præterea ad effectum istum acciendum, opus est, ut spiritus animalis poris & meatibus illis exclusi, ac insuper particulis nutritiis & se-*

rosis sæpe onusti, versus cerebri meditullium se recipiant otio indulturi. Circa hæc pensa ad somnum requisita, non semper unus idemq; ordo est. Quandoq; enim Spiritus animales primo & sponte sua isthæc spatia derelinquunt, succo nerveo in eadem inanita mox irruente; interdum vero humor nerveus cum sero uberius suffusus, meatus istos primo invadit, spiritus exinde licet invitos propellens ac intus cogens. At vero Operatio Coffeé utrisq; his effectibus contraria videtur. Nam statim à potu ejus particulæ adustæ summe agiles, ac impigre in sanguinem delatæ, liquorem ejus nonnihil fundunt, seroso latice versus venes & habitum corporis detruso; porro, illæ cerebrum adpellentes, poros ejus facillime aperiunt, quos & mobilitate sua valde apertos detinent: dein spiritibus illæ accrescentes, eos particulis quibusque aliis gravativis, tum nutritiis denudant, adeoq; leves & pernices ubiq; in motus cient, atq; per totum Cerebri ambitum, oppletione gravi & obstructione liberum, expandi faciunt. Ingeniosa hæc cogitata Dn. *Willis* libenter accipimus & partem mirabilis effectus dicto modo contingere, credimus, plene tamen & plane illum explicare, adhuc dubitamus: nam si hunc effectum præstaret, quatenus particularum adustarum particeps est potus, quales in sanguine atrabilario & retorrido supponuntur, liquores correcti pane non sine adustione tosto, & similes, saltem rudimentum aliquod ejusmodi operationis ostenderent. In re ipsa E. acquiescentes, aliquali causæ illustratione sumus contenti. Hincq; nulli dubitamus in somnolentia nimia, præmissis præmittendis, horâ octavâ matutinâ & quintâ pomeridianâ haustum Café, cujus liquor sit decoctum foliorum Salviæ aut Rosmarini viridiusculum, cum Dn. *Willis* commendare. v. Tr. d. Anim. Brut. Part. II. c. 4. Exemplis rem confirmatam vide ibid. Obiter notamus, sacris intentos, & ad prædicationem Verbi Divini attentos, forsan non peccare, si hausto uno vel altero, antequam templum ingrediantur, pocillo, à somnolentia se præstent immunes.

§. 70. Occasione facultatis antihypnoticæ Dn. *du Four* perstringit *Petrum della Valle*, quod scripserit, si ex vino & Café adornaretur, sicut ex aqua & Café potus, videri, esse posse Nepenthes Homeri, quod Helena ex Ægypto obtinuit; unde etiam illud ad nos pervenit; Ex duplici autem ratione

sata-

ſatagit probare, evidenter illum falli. 1. quod Café cum vino ſumptum ad palatum minime eſſet (ſeroit un tres-mechant ragout) 2. quod Homerus ſuppoſuerit, Nepenthes fuiſſe herbam Narcoticam, cum Café ſomnum arceat, & arceret adhuc magis, ſi ſpicula vini accederent. Verumenimvero, pace illius, quamvis 1. certum ſit, quod ex pulvere torrefacti & uſtulati Café & vino, gratus & ſuavis potus non conficiatur; certum etiam ſit, factâ infuſione in vino, ut periculum fecimus, nec tincturam nec unctuoſitatem extrahi; (quod tamen fit, ſi in aqua ſimplici infundatur) certum etiam ſit, infuſione illa gratiam vini minui; attamen non repugnat, aliâ ratione quam torrefactione & uſtulatione, ut vulgo fit, ſpiritibus granorum exaltatis & ſale volatili à vinculis magis liberato, illa ita reformari poſſe, ut in vinum deponant vim ſuam ſine nauſea. 2. Homerum ſuppoſuiſſe, Nepenthes fuiſſe herbam Narcoticam, cum antiquitatis monumentis male cohæret. Malo autem hoc declarare verbis Viri Medici in Antiquitate verſatiſſimi, Dn. *Johannis Antonidæ van der Linden*. Doctoris & Profeſſoris in Academia Lugduno Batava celeberrimi, Select. Medic. X. §. 144. *Ejusmodi potio*, inquit, *quæ facit oblivisci malorum*, νηπενθὲς *dicta fuit à Poëta*, *Odyss*, Δ. 220. *Plinius XXV. 2. Nobile illud Nepenthes oblivionem tristitiæ veniamq; afferens. Qualis ea potio, incertum. Poetam volunt hoc dicere, Helenam aliquod medicamentum somniferum vino immiscuisse, & bibendum marito atq; Telemacho dedisse. Quod equidem verisimile non est. Hoc enim agebat, ut exhilararet ipsos, tristitiamq; animis depelleret.* Triſtitiam interim animis depellendi nulla hactenus obſervata in Café facultas.

§. 71. Denique dum ad *Caput* adhuc reſpicimus, Potus noſter non tantum *non inebriat*, etiamſi totæ noctes ſorbillando continuentur; (Cujus rei memores Angli, turbulento rerum ſtatu, thermopolia numeroſa valde, ubi Café Potus adminiſtratur, claudi voluerunt; quia à ſeditioſis hominibus, inter compotationes ſemper ſobriis, majus periculum, quam ab iis qui ſtrenue litant Baccho.) ſed & *ebrietatem ſolvere* ſerio inculcat Dn. *Du Four*, c. 9. niſi vino plane ſint ſepulti

pulti: Exemplo faceto rem confirmare ſatagit, quod ne gratiam perdat, Ipſius verbis adſcribo. *Un de mes amis*, ait, *s'eſtant laiſſé ſurprendre aux agréements du vin, ſe mit à jouer au Piquet apres le repas; il perdoit ſon argent, parce que les fumées du vin, luy faiſoient voir cœur pour carreau; je le tiray a part, & luy fis boire une bonne taſſe de Café, en ſuite de quoy il revint au jeu, l'eſprit & la vuë auſſi libres, qu'il les avoit eüs à jeun.* Quem ſupra allegavimus, Vir maxime reverendus ait. *Cum Aulicorum plures capiti temulento hoc potu mederi vidiſſem, ejus & ipſe in capite ſobrio feci periculum, & quidem feliciſſime, utinam ad finem usque vitæ*, Ephem. Germ. Dec. II. An. 3. Ubi Scholion. *Quin & Bibulis hunc commendaremus, ut crapulam ſibi fugarent, aut ad minimum cerebella à potatione turbulenta nova ſerenitate irradiarent, ſi æquum foret, Remedia præſcribere ut ingluviei commodius litare queas!* Medicorum autem eſt, Affectionibus p. N. quærere auxilia, etiamſi periculum ſit, ne æger, recuperatâ valetudine, illis abutatur.

§. 72. Sed, ſomniferum quibusdam eſt, ais? Somnum quibusdam conciliare, probatum eſt apud Dn. *Du Four*, ex Obſervatione Domini *de la Cloſure*, inter alia exemplo Domini *Ferrand*, Decani Medicorum Lemovicenſium, qui morbo quodam detentus, urgentibus vigiliis, quotidie ſub veſperam hauſit pocillum Café, quod ſomnum ipſi certò conciliavit. Verumenimvero, ſi ad id quod ut plurimum obſervatur, reſpicimus, tum hiſtoria Medica, tum Experientia plurium etiam apud nos, atque etiam noſtra, nobis inſinuant vim antihypnoticam, quæ in eo celebratur. Quod vero unum vel alterum exemplum contrarium effectum oſtendens attinet, Reſpondemus; Sicut Medicamentum diureticum vel diaphoreticum non deſinit pro tali haberi, ſi ad ejus uſum, in uno vel altero ſubjecto, ille effectus ſequatur, qui purgantium quaſi proprius eſt; nec Medicamenta Purgantia deſinunt eſſe purgantia, ſi cui priapiſmum excitarunt; ita Café non deſinit eſſe antihypnoticum, etiamſi in uno vel altero ad uſum illius, ſomnus, ſit ſecutus, ſc. per accidens, interve-

niente

niente aliâ causâ, quæ tamen, ubi de circumstantiis non constat, non facile determinatur.

§. 73. Sed & Pectori Potus Café accommodatus. *Dominus della Valle* l. c. nominat *Catarrhos* inter affectus, in quibus Turcarum experientiâ ille sit admodum utilis. Declaravimus autem Dissert. de Potu Calido, Potum Calidæ convenientem esse illis, qui catarrhis tentantur, experientiâ tum veterum, tum quotidianâ, & ratione, quam hic repetere operæ pretium non videtur. Cum vero effectus Café, cum eo quem præstat Calidæ potus, egregie conspiret, ultro intelligitur, Catarrhosos in potu Café invenire medicinam. Unde nulli dubitamus, hunc illis commendare. A Dn. D. *Johanne Daniele Horstio* introductum, in Curatione Catarrhi proficuum Potum Café, notat Dn. *Welsch* de Ven. Medin. c. 12. Illum etiam Dn. D. *Laurentius Straus*, in Disp. de Potu Coffi, refert Francofurti primum in usum Medicum induxisse & aliquot ægris cum successu propinasse. Sicut vero salutarem in Catarrho pronunciamus potum Café, ita & in affectibus pectoris aliis, *Tussi* v. g. *Spirandi difficultate, asthmate*, eodem, quo supra usi, argumento. Ostendimus sc. l. c. affectus verbo indicante Aetio, in Asthmate, Pleuritide, Peripneumonia, Tussi aliisque, commodum ex Potu calidæ sperare posse, qui illis tentantur: quanto E magis, si calida virtute Café, quæ cum actione illius conspirat, ut ex qualitatibus & analysi illius supra proposita intelligitur, est imprægnata. Rationi non potest non respondere experientia. Dn. D. *Jacobus Sponius*, Medicus Lugdunensis, post Parentem Carolum percelebris, fidem facit, se sæpissime cum successu hunc potum exhibuisse illis, qui multum phlegmatis exscreabant aut Asthmate laborabant, ap. *Dn. Du Four* c. 11. ubi plures læsi pectoris per Potum Café curationes enarratas invenies.

§. 74. Præcipue autem laudatur *Lac Cafetatum* ut vocant, i. e. Lac virtute Café imprægnatum, cujus authorem, qui primus introduxerit usum, ex traditione quorundam, idem nominat Medicum Germanum nomine *Neuhofium*, qui ejus mentionem faciat, in Descriptione Legationis Batavorum

rum ad Chinensium Imperatorem. Verum, pace Viri curiosi, procul dubio, ut alienâ, ita & lubricâ traditione, non inspectâ ipsâ Descriptione, nititur. Nam *Dn. Neuhofius* 1. nec ipse se Medicum profitetur, sed notatæ Legationis Ephorum Superiorem. 2. Nec scribit, se jusculum, quod vocat fabaceum, adornasse, aut usum ejus introduxisse. 3. Ne quidem cogitavit de Café, quando jusculum suum, fabaceum ipsi appellatum, describit. Nam postquam p. 348. designavit, quomodo aliter à Chinensibus, aliter à Japonensibus potus Cha, id est, Theé, ut suo loco ostendimus, præparetur, addit, quosdam Tartaros & Sinenses, præcipue autem Magnates & Proceres, aliter etiam paratum sorbillare, & in pretio habere. Parari autem hac ratione. Manipulum unum vel dimidium Cha, id est, foliorum Thée infundi in sufficienti quantitate Aquæ simplicis ferventis, hinc admisceri quartam partem Lactis bullientis, addito momento salis. Pag. autem 57. idem memorat, quare jusculum fabaceum vocarit, cum Legatis, quorum Ephorus ipse erat, in convivio, quo ipsi excepti erant in prima statim mensa, hic potus offerretur; externâ scil. specie sibi visum jusculum fabaceum. Hoc itaq; cum Lacte Cafetato non erat confundendum.

§. 75. Lac autem Cafetatum verum An & quomodo Orientales præparent, nulla invenio documenta. Dn. autem *Monin* Medicus Gratianopolitanus, qui in usum id traxit, & ægros illo restituit, ut patet ex ipsius literis ad *Dn. Du Four* c. 11. ita docuit adornare. Lactis vaccini quantum capit scutella vulgaris, committit sartagini minori; quando vide bullas elevari, cochleare unum seu ʒiij. præterpropter, Caf modice admodum torrefacti (quia adustum ingratum vald lacti conciliaret saporem) sparsim admiscet, ne in grumos pulvis cohæreat: post modicam admodum ebullitionem, retractâ ab igne sartagine, pulvere brevi ad fundum præcipitato, Lac in aliam scutellam elegantiorem decantatur, supe cochlear unum Cassonadæ. Hoc jubet sorbillare ægrotantes calidè quantum possunt, & abstinere à cibo per 4. horarum spatium. Ipse autem *Dn. Du Four* alium etiam communicatum

tum ſibi modum præparandi lac Cafetatum enarrat, ſecundum quem, ne lac ſpiſſius reddatur, ſorbitio Café modo ſupra explicato adornata, lacti admiſcetur; aut ante lac, aut poſt lac, ſorbitio ordinaria Café exhibetur; quod fere perinde ſit, cum in ventriculo mixtio fiat, etiamſi unus liquor poſt alterum ſit ventriculo ingeſtus. Et quamvis hæc mixtura videatur ingrato ſapore minus placere, attamen, ut ipſe aſſerit, non eſt ingrata palato, præcipue quando Café lacti incoquitur ad conſiſtentiam paulo craſſiorem, quia tum accedit ſapor ad Chocolatæ ſaporem, quem omnes laudant; Ego novi non unum, qui ſaporem Lactis Cafetati collaudet. Paulo ante laudatus *Dn. Monin.* cum notatam Epiſtolam ſcriberet, à 5. vel 6. annis ægrotantibus lac Cafetatum exhibuit, in omnibus morbis ubi Lactis cura alias commendatur, addens, nunquam male rem ſucceſſiſſe: modo vaccinum modo aſininum convenientius viſum; admiratione autem dignum eſſe, quod ejusmodi lac non coaguletur in ventriculo, nullas oppilationes faciat, vaporibus non petat caput, acrimoniam humorum mitiget, fermentationes exceſſivas attemperet, tuſſim ſiſtat, nutriat & pinguefaciat ægrotantes. Ad quorum phænomenων cauſas ſpecialius explicandas hic non licet excurrere; quas tamen examen & analyſis Spagyrica in genere ſubminiſtrant. Ipſe Dn. *Monin* periculo in ſe facto didicit, & ſuo exemplo certior factus, docuit alios, ventriculum ineptum ad lactis curam, lac Cafetatum admittere cum ἐυφοείᾳ, ita ut, qui à lacte Aſinino in incipiente phthiſi nullum ſolatium impetrare potuerunt, uſu lactis Cafetati reſtituti fuerint; quod & exemplo Uxoris ſuæ ulterius illuſtrat, quæ à ſedecim annis phthiſica, febre acutâ aliisque Symptomatibus correpta, extreme extenuata, non proficiente lacte aſinino, lacte Cafetato fuit in integrum reſtituta.

§. 76. Celebritatis hujus Potusmagnam partem conſtituit, quod *coctionem Ventriculi mirabiliter promoveat* ſicut Vinum, & quod Gentes Aſiæ, Africæ, & Europæ, quibus Lex Mahometis vino interdicit, dicto potu, eum in finem, cum ſucceſſu utantur. *Ægyptij*, inquit, *Proſper Alpinus* l. c.

 Utun-

utuntur ejus decocto ad roborandum ventriculum frigidiorem adju vandamq; concoctionem. Veslingius ad hunc locum. *Potus Café sto macho nauseam non infert, quantumvis largius decoctum hauriatur nec intensiore gradu caloris eidem infestum. Petrus della Valle* scri bit. *Persuasum esse Turcis, coctionem Ventriculi juvare; Dn. de The venot.* ita. *Conducit ad confortandum stomachum & juvat digestionem Eduardus Terry* Anglus asserit, maxime digestionem juvare *Duloir* scribit, Turcas illius in stomacho effectus experii mirabiles. Unde facile intelligimus, in ἀπεψίᾳ, δυσπεψίᾳ, præ cipue ubi vinum propter circumstantias morbi vel persona non admittitur, suam præstare operam, quam indubiam vo cat Dn. *du Four*, post allegatorum Scriptorum & Peregrinato rum assertiones.

§. 77. Artis Proceres *Hippocrates & Galenus* inter sto machica facile admisissent hunc potum, si ipsis innotuisset quia amaroris evidenter est particeps, amara ventriculo a mica sunt, & corruptioni resistunt & abstergendi vim ha bent. Admiserunt eum propterea facilius sagaciores Natu ræ scrutatores & Medici, succorum Ventriculi, & partis u triusque, subtilis nempe seu volatilis, & crassioris seu terre stris Café naturâ probe excussâ: intelligentes sc. volatilem & subtilem, quæ in potu Café est, substantiam unde levissima adstrictio, fermentum Ventriculi sæpe corrigere, quo bene se habente, & digestio & coctio & distributio ventriculi fe licius absolvuntur, acidæ p. N. si adsunt, cruditates fran guntur, corruptio excluditur, coagulatio impeditur; unde morborum plurimorum rudimenta destruuntur, quæ relicta in coctionibus sequentibus non corriguntur. Et qui ita ra tiocinantur, ad experientiam cordate provocare possunt, & unam instar omnium esse posse, arbitrantur, quando sc. nobis revocamus in memoriam, Turcas aquam bibentes & vescen tes leguminibus, lacticiniis & fructibus potius quam carni bus, manducantesque panem azymum, non bene coctum vitiis ventriculi rarissime laborare; cum tamen ejusmodi vi ctus ratio, ad inferendam ventriculo vim, omnino sit com parata. Neque enim adparet, unde conservetur integritas

actio-

actionum ventriculi, quam quod potum Café in quotidiano habeant usu. Quamvis enim aliis potuum generibus, Sorbet, Chosaf, acido Cedri utantur, attamen horum ingredientia digestionem coctionemque ventriculi promovere, cruditates & morbos inde dependentes avertere, nemo principiis Medicis mediocriter imbutus agnoscet. Exempla restituti per potum Café ventriculi, vide ap. Dn. *du Four*. c. 9.

§.78. Idem hinc non male infert, *Lumbricorum* generationi resistere; *Vomitum* per accidens, cruditates glutinosas lentas, viscidas dissolvendo, & quasi fundendo fluxiles reddendo, excitare, & liberare ægrum à pertinaciter, glutinis instar, fundo & lateribus ventriculi adhærentibus humoribus: & vicissim sistere, vomitiones, quando acidi humores salsive vomitûs sunt causa, quorum acies potu Café quasi obtunditur. Profuisse contra dolores ventriculi à nimia aciditate, testatur *Du Four*. c.11. *In Colica* commendatur etiam, quæ a pituita crassa, lenta, viscida, vitrea, ortum habet, quam fundit resolvit & mobilem facit.

§. 79. *Viscerum obstructiones* referare primi Observatores tradidere. *In Tumoribus hepatis lieniq; frigidis & antiquis obstructionibus, felici cum successu decoctum multos dies experiuntur*. verba sunt. *Prosperi Alpini*. l. c. *Cum frigidi & crassi succi viscera communesque corporis ductus noxio infarctu impediunt, decoctum ex tosto contusoq; nucleo præferendum est*. scripsit *Vestingius*. l. c. Recentiores omnes in genere consentire, ad reformandum & eliminandum ex corpore phlegma, insignem hunc potum adferre utilitatem, quæ collegit Dn. *Du Four*, testantur. Dn. D. *Möllenbroccius* Tract. de Arthritide vaga Scorbutica c. 13. scribit *Decocti Café usum olim Persianis, Arabibus & Turcis solum notum fuisse; jam vero in Suecia, Dania, Anglia, Hollandia contra Scorbutum communem esse*.

§. 80. In specie commendatur ad *suppressionem mensium*, *Chlorosin* & alia *uteri vitia*. *Uterum maxime respicere videtur; ipsum enim excalefacit, obstructionesque ab eo aufert. Sic enim in familiari usu est apud omnes Ægyptias Arabumq; mulieres, ut semper dum fluant menses, ipsorum vacuationem hujus decocti*

ferventis multum paulatim sorbillantes, adjuvent; ad promovendos etiam in quibus suppressi sunt, usus hujus decocti, purgato, corpore, multis diebus utilissimus est. Verba sunt *Alpini* de Plant. Ægypt. c. 16. Et lib. de Medicina Ægyptiorum IV. c. 3. ista habet. *Cum ego animadvertissem mulieres, quibus cœperint menses fluere, ad eos adjuvandos de eo (decocto sc.) calidiori semper paulatim multum sorbillare, apud illasq; omnes, ad juvandam eam evacuationem in usu esse frequentissimo, cœpi illâ edoctus experientiâ, in omnibus illo uti, quibus aliquam ob causam purgatio menstrua destitisset; quod quidem felicissime multis evenisse vidi, exindeq; didici, hoc genus remedij, pro evocandis menstruis ab uteri obstructis venis, esse præstantissimum: Post universalem tamen corporis vacuationem, mane jejuno stomacho, istud decoctum assumtum efficacissime menses provocat, temporeque, quo multis cum vehementibus doloribus minute difficulter exeunt, eis præsentaneo est auxilio.* Vesslingius ad priorem locum, contentus fuit, ad omnem infarctum ad omnes obstructiones commendasse. Dn. *Du Four* scribit, plures auctores asseverare, provocare menses, obstructionibus uteri solutis; Passiones hystericas, dissipatis vaporibus, tollere; infestantes, fluentibus Catameniis, dolores mitigare; puerperis ad promovenda lochia propinari posse, subjunctâ experientiâ Domini *de la Closure*, celebris Medici Santonensis. Assensum suum negare vix sustinuerit, qui memor eorum, de quibus Analysis supra nos reddidit certiores, facile capit, potum tantum non ferventem, pluries haustum, ejusmodi pharmaco imprægnatum, calorem naturalem suscitare, prava sanguinis fermenta reformare & emendare, quod in eo p. N. crassum attenuare, quod lentum viscidumve incidere & ad exclusionem disponere. Dn. *de Blegny* monet, gravidas & hæmorrhagiis uterinis obnoxias, caute debere admittere potum Café, quod, Experientiâ Magistrâ, vim habeat pellendi per uterum.

§. 80. In memoriam sibi revocantibus, quæ supra de qualitatibus & elementis Café dicta sunt, difficile non est concipere, quare Turcæ *hydropi* minus obnoxij sint, quam Europæi, & dirus ille morbus Turcarum paucis sit cognitus,

&

& quare in Anglia modo Hydrops & Podagra affectus sint rariores; ab eo sc. tempore, quo Potus Café Anglis factus est familiarissimus; quam observationem Londinenses ante 18. præterpropter annos publici juris fecerunt, annotante etiam hoc Dn. *Du Four* c. 10. Cum hoc dicere ausim, si nostrates bibaces hanc lympham bibosi in tempore admitterent, forsan tandem tanto numero non essent, qui à diro hydrope sibi metuerent, aut hunc haberent viam ad mortem. | *Dolorum* etiam *arthriticorum* minus futurum, si damnato Bacchi & Veneris cultu, Lympha hæc benigna, secundum ea quæ dicta sunt, admitteretur. Qui diu in locis Orientalibus, ubi Potus Café omnibus familiaris, versati fuerunt, uno quasi ore asserunt, Podagram inter rara numerari. Inter eos nomen suum profitetur Dn. *Jacobus Sponius*, cujus supra mentionem fecimus, qui doctis oculis Orientem perlustravit. Exempla Podagricorum qui doloribus atque cruciatibus per continuatum usum Potus Café solatium impetrarunt vide collecta à Dn. *Du Four*. c. 10. & 11.

§. 82. Quem morbum *Hypochondriacum* vocant & *Scorbutum*, cum hi quidem morbi humorum Tartareorum, acidorum, acetosorum, salsorum & sæpe quadantenus corrosivorum apparatu constituantur, & in illis tum ratio, tum experientia hactenus proficuum magis nihil invenerit, quam Medicamenta vegetabilia quæ sale volatili abundant, cum levi quodam amarore, cujusmodi sunt Cochlearia, Nasturtium hortense & aquaticum, Anagallis aquatica, Armoracia, Eruca, Sinapi, Trifolium fibrinum, Antiscorbutica vulgo dicta; quid quæso obstat, quo minus de Café subsumtionem faciamus? Rationes facile deduxeris ex qualitatibus; præcipuas autem tacta supra phænomena & analysis ipsa Spagyrica subministrant. Experientiam si desideras, en multiplicem. Scribit Dn. *D. Valentinus Andreas Möllenbroccius* Tract. de Varis c. 13. *Decocti Cove usus olim Persis, Arabibus & Turcis solum notus fuit; jam vero in Suecia, Dania, Anglia & Hollandia etiam contra Scorbutum comunis est.* In atrophia scorbutica commendavit *D. Waldschmidt*. Med. Ration. cas. 42.

§. 83. *Dolores Nephriticos & calculi generationem* quomodo avertat Potus Café, intelligimus, si nobis revocamus in memoriam, coctionem illum promovere ventriculi, viscerum fermenta debilia exaltare, exorbitantia mitigare, obstructiones reserare, vias expedire, ut in & cum sero, quæ renibus nocitura erant, per vias urinarias secedant. Magnum iterum pondus addit Ratiocinio, quod supra laudatus celebris peregrinator in Observationibus suis annotarit, Sabulum, arenulas, Calculum in renibus Orientalium, qui potui Café indulgent, rarius subnasci, ap. Dn. *du Four*, c. 10. In *Urinæ suppressione* inter prophylactica ipsi vindicat locum, Dn. *D. J. J. Waldschmidt* Med. Rat. cas. 45. quod acidum quodvis & austerum egregie compescat & corrigat.

§. 84. Dn. *Du Four* deniq; notat, qui Observationes suas de Utilitate Potus Café publici juris fecerunt, omisisse hanc laudis partem, quod accommodatum etiam sit remedium in *Diarrhœa & Dysenteria* curanda: idque exemplo & literis ex Oriente ad ipsum datis confirmat c. 10. sub finem. Et facile quidem intelligimus, quod potus actu calidus plerumq; non sit inconveniens: quia læsa intestina potu frigido magis læduntur & frigido potui adsuetis, parce bibere, aut non bibere præcipuum auxilium est. Modica etiam in potu isto adstrictio & vis absterstiva ad ea pertinent, quæ natura affectuum intellecta indicat. Et cum ventriculum & intestina foveat, & actiones hujus promoveat, quo respectu à Turcis vino substituitur, tanto facilius admittitur. Interdum tamen potus efficacius adstringens, Vinum rubrum stypticum, aqua chalybeata, decocta ex Vegetabilibus adstringentibus requiruntur, ubi potum Café imparem esse Medici sunt certi. Et hactenus quidem de affectibus, in quibus Potus Café utilis fuit observatus.

§. 85. Quamvis vero prænobiles hactenus fructûs Café, & inde parati potûs enarratæ sint virtutes, non defuerunt tamen, qui tenuiter, ita ut fit, de illis sentirent. Dn. *Veslingius* videtur quosdam notasse, in Epist. ad Patr. Athanas. Kircherum supra allegata, qui de latente in pharmaco maligni-

lignitate cogitarunt, vel etiam verba fecerunt, quando ait. *De latente in Coava malignitate nec mihi nec aliis, qui diutissime in Ægypto degerunt, suspicio nata unquam fuit, adeoq; nec de corrigentibus cogitatum. An autem in hoc fructu alibi producto, virus quoddam sese extulerit, nullo hactenus exemplo discere potui.* Dn. D. *Valentinus Andreas Möllenbroccius* Tractat. de Arthritide vaga Scorbutica. c. 13. refert. Dn. D. *Christophorum* Keyling/ Physicum Islebiensem sibi narrasse, se ab Armeniano quodam accepisse, quod ex crebro Potus Café usu, membra exteriora contrahantur; verum hujus quidem, ut obscura est authoritas, cujus etiam Dn. D. *Möllenbroccius* vix rationem habet, ita, reclamante Experientiâ, ab omnibus insuper habita. *Cornelius Bontekoe* Tractatu Belgico primùm, deinde Germanico Idiomate edito, de Hominis Vita, sanitate, morbo & morte. p. m. 469. 470. quamvis suas etiam Potui Café (modo prærogativa Potui Thée concedatur) tribuat laudes, attamen suspectas easdem reddit, quando paulo post scribit, fuisse, qui fabas, castaneas, siliginem, triticum, panem, placentas simili ratione torrefactioni subjecerunt & potum eadem methodo inde adornarunt: se, periculo facto, animadvertisse, illum Potui Café non cedere bonitate; curiosos etiam Anglos, illum pro potu Café oblatum, ab hoc distinguere non potuisse. Aliâs magni non occurrunt Vituperatores hujus fructûs, præter Dn. D. *Simonem Pauli*, Medicinæ Professorem Haffniensem percelebrem, qui summopere in Potum Café invehitur, ac dum contra Potum Thée declamat, Potum Café infamem reddere nititur. Verba ejus sunt Comm. de Abusu Tabaci & Herbæ Theé. p. 38. a. *Usus herbæ Theé, si recens ex China in Europam inferri posset, præ reliquis duobus Medicamentis, Chocolata & Coffi, tolerandus adhuc esset: Ast Coffi minime omnium, ceu cujus decoctum Chavvæ, corpora animosq; Persarum omnino effœminat; quos cum imitamur, hoccine est indurare corpora? quod studium in Germanis nobis tantopere olim* Julius Cæsar & Cornelius Tacitus *prædicarunt? Ex superioribus, cum de Abusu Tabaci agerem, notum ex Viganeni libro de Moribus Turcarum, Amurethem IV. Orientalis Imperij Tyrannum ideo subditis suis capitali edicto interdixisse omnem Tabaci usum, quod veritus*

tus sit, ne nancisceretur steriles subditos: Et nos Europæi, incauti ob t sum Cahvvæ aut Coffi aquæ, pergemus, ut ita dicam, emasculare nos, in star Persarum, qui sterile conjugium fœcundo præferunt longe Europæi teste Oleario, libidinosiores: qui valeant & suum sibi Coffi aut Cahvv aquam habeant, sorbeant ad satietatem, dum inepti conjugio sint. E paulo post. *Quod Europæis utilissimum hoc sit Medicamentum, Veslin gius defendat, non ego, qui diversus ab illo abeo.* Et p. 37. b. *Coffi item Theé sc. potu Europæi, modo vellent, cura ullam jacturam valetudinis care re possent. Atq; utinam vel singulorum vel omnium horum usu & præser tim nimio, eam non irent corruptum, medicamentis diversarum partium & totâ substantiâ agentibus, atq; adeo non ratione, sed (teste Galeno per empiriam inventis. Atq; hæc & similia faciunt (quorum etiam men tionem feci in Historia Tabaci) quod hoc seculo novis omnino & contu macioribus corripiamur morbis.* His consona habet in Quadripart Botanic. & passim. Allegat etiam *Joh. Albert. von Mandesto.* Itin Indiæ Orientalis. c. 11. qui scribit, Persas nigram aquam Caf bibere; famam esse, refrigerare & sterilitatem inducere. Ob signat quod persuadere satagit, facetâ quæ animis hæreat, hi storiâ, cujus summa, ut enarrata est ab *Oleario.* Itin. Moscovit & Persic. lib. V. c. 17. hæc est. Regis sc. Sulthan Mahmu Casnin Conjugem, cum ille, inhiando nimiopere Potui Ca fé, impotens factus, nullam amplius Illius haberet rationem odio illius potus flagrantem, forte fortuna de fenestra prospe xisse, cum castratio generosi Equi, multis spectantibus, adorna retur; cum autem ab adstantibus, interrogatis ab Illa, quid tu multus sibi vellet? tectis nominibus de re esset certior reddi ta, Ipsam respondisse; Tanto apparatu opus non esse: Desti narent Equo in potum aquam abominabilem Cafetatam; bre vi illum Regi languido futurum assimilem. Addit ille porro famam esse, nominati Regis filium & successorem ex confessio ne Matris tandem cognovisse, Non Regem potu Café exo lutum, sed Pistorem quendam vegetum Ipsius fuisse genito rem. Subjungit deniq; *Olearius* versus quosdam, à Poetis o abominandam illam proprietatem, voluptatem sc. Veneream cui Persæ admodum dediti sunt, surripiendi, in vituperium Café compositos, quos & peregrino & Germanico Idiomat

apu

apud ipſum leges. Specialius deniq; *Dn. D. Simon Pauli*, ſpecioſe ex principiis Chymicorum p. 46. ſcribit. *Ingens Perſarum error & aliorum omnium eſt, qui putant ſemen Bon aut Ban, quod toſtum Coffi dicitur, & illius decoctum, Aquam Cahvvæ aut Coffi, adeo frigefacere eam frequentius bibentes ſorbentesve, ut omnino elumbet viros, aut eorum nervum rerum gerendarum in thalamo vel conjugio enervet.* Et paulo poſt. *Non quod frigefiant, ſterileſcunt Perſæ, ſed quod clanculum ſenſimq; exſiccentur, non à qualitate paſſiva aut ſecunda, ſiccitate nempe Ariſtotelica, ſed à Sulphure Cahvvæ ſive Bon vel Ban ſeminis ipſi proprio, ut Opio, ut Tabaco, ut Agno caſto, ſua propria ſunt Sulphura.*

§. 86. Sed expendamus paulo diligentius, pace Illius, prolata argumenta & rationes. I. Pro palmario habet, quod ex hiſtoria ſibi videtur demonſtraſſe, Café ſterilitatem inducere. Sed reſpondemus, ſi Dn. *D. Simonis Pauli*, allato ex Oleario exemplo probatur, immodicam ingurgitationem potus Café, elumbes reddere homines, (qua de re paulo poſt) moderatus tamen propterea ejus uſus non magis damnandus, ut ipſe quidem damnat, quam v. g. Vini; quod ſtrenue litantes Baccho & de poculorum magnitudine certantes, ſæpe in hydropem præcipitari, doloribus arthriticis macerari, præ aliis apoplexiâ tangi, in paralyſin incidere, videamus; vel Medicamentorum Purgantium, quæ nimia doſi exhibita ſpiritus & ſuccos Corporis utiles exhauriunt, hominem in lipothymiam, imo Syncopen conijciunt; vel quorumcunq; aliorum, ſive domeſticorum ſive exoticorum, quæ, nulla quantitatis habitâ ratione, nocent. Abuſus ſc. facit, quod Uſus nullo modo, nullo gradu facit, ſicut exemplis notatis & ſimilibus declarari facile poteſt.

§. 87. Quod autem ipſam hiſtoriam à Dn. *D. Simone Pauli* illatam, quæ forſan non paucis horrorem incuſſit, & incutit aliis etiamnum, attinet; ut de fide & integritate *Dn. Olearij* dubitare nobis religio eſt, ita fas nobis fuerit dubitare, an omnino vera à Perſis *Dn. Olearius* acceperit, an forſan ſemel & iterum inciderit ille in quosdam odio novæ rei (quia non eadem omnibus probantur, & multa laudantur ab his, culpantur ab illis) flagrantes, vel ab his ita edoctos, qui fabuloſa miſcerent

 nar-

narrationibus. 1. Quia ipſe Dn. *Olearius* l. c. miratur, Perſas narraſſe ipſi de ſupra nominato Rege & Poeta *Hakim Firdauſt*, quæ alij pridem de *Cæſare Auguſto & Virgilio* tradiderunt. 2. Quia cæteri Hiſtorici & Peregrinatores curioſiſſimi, qui Regnum Perſiæ perluſtrarunt, de hoc effectu Cafe, de arguta illa hiſtoria, & fama notata, prorſus tacent, non ſolum qui ante *Olearium*, ſed & qui poſt eum curioſi in Perſia fuerunt Europæi. Dn. *Du Four* c. 13. allegat Dn. *Figueroa* Legatum Regis Hiſpaniarum ad Regem Perſarum, qui per aliquot años commoratus eſt in Metropoli Perſiæ Hiſpahan, antequam *Olearius* iter eo ſuſciperet, curioſa Regionis annotavit publicavitque; quamvis autem expreſſe egerit de potu Café in Perſia, enarrans Perſas vel valetudinis vel voluptatis cauſa potum iſtum haurire (cum qua ſententia, ut obiter hoc adnotemus, non pugnat, quod Dn. *Bernier* in literis ad Dn. *Du Four*. referat, in Perſia eum eſſe rarioris uſus, ſcil. reſpectu Turcarum aliarumq; gentium, quæ in quotidiano eum uſu habent) de proprietate tamen iſta ſterilitatem inducendi, ne verbum quidem addit. Quamvis autem in mentem curioſo venire queat, Forſan tempore, quo Figueroa in Perſia fuit, cognitam aut ſaltem perſpectam ſatis nondum fuiſſe iſtam proprietatem: dubiam tamen ſuſpicionem, imo irritam facit, partim quod notabilis adeo temporis differentia non intercedat inter utriusq; adventum in Perſiam, partim quod celeberrimus Peregrinator Dn. *Tavernier*, qui non ſemel tantum in Perſiam iter direxit, ſed & in illa poſt Figueroa & Olearium diu hæſit, & ſingularia Regionis, etiam quæ minoris momenti ſunt, annotavit, ne verbo quidem iſtius proprietatis faciat mentionem; nec magis Dn. *Bernier*, quem diu verſatum in Perſia, ea de re ſi unquam audiviſſet, cum inſignis Philoſophus & excellens Medicus, in omnibus curioſiſſimus fuerit, effectum tam notabilem, in Perſia lippis & tonſoribus notum, in ampliſſimis relationibus intactum relinquere potuiſſe, veriſimile non eſt. 3. Quia nullibi aliâs ubi potus Café vel inter delicias vel medicinas numeratus, vel in quotidiano uſu eſt, Experientia populis illum illo nomine ſuſpectum fecit. Bene videtur

detur inferre Dn. *Du Four*, quod, si potus Café ita facile sterilitatem induceret, hoc pridem in Turcia, ubi, ut supra audivimus, omnes amore illius capti sunt & vini loco illo utuntur, observatum fuisset, cum tamen vastæ Imperij Mahumetani urbes (exempli loco sit Cairus Ægypti, ubi avidius quotidie & abunde potum Café ingerunt) sint populosissimæ. In Europa jam Galli, Itali, Angli, Belgæ, Germani, sorbillant eundem, nullæ tamen de subnascente sterilitate inter populos istos audiuntur querelæ.

§. 88. Sed rem ipsam quod attinet, sicut secundum principia Medicorum, Omne nimium Naturæ inimicum; ita, intellectâ præcipue naturâ pharmaci, à parte Dn. *du Four* stare non possumus, quando ne quidem in excessu notatam noxam agnoscit; sed agnoscimus excessum in usu illius nocere posse, & in specie, in exsuccis præcipue, proclivitatem ad Venerem imminuere, aut aptitudinem ad gignendam sobolem auferre posse. Causam eleganter exprimit sagacissimus Dn. *Willis* Anglus, quo vix alius majorem experientiam circa Café potum habuit, quando illam nobis communicans ait. *Spiritus quidem Veterani agiliores ac impigri magis redduntur, at novorum subsidia minuuntur: Hinc ut facile constet, Potum hunc communissimo licet in usu, ac in quibusdam casibus valde utilem & adprime medicum, in aliis forsan noxium aut minus salutarem existere. Ita quidem rem habere, non tantum ratio, sed & vulgaris observatio passim dictitat; in quantum Coffeé potatores nimij, macilenti sæpe numero, item paralysi & Veneris impotentia obnoxij evadunt.* Horum respectu Dn. *D. Ettmüllerus* videtur Café Antivenereum appellare, non alio. Coment. in Dan. Ludov. Pharmac.

§. 89. Quando II. Dn. *D. Simon Pauli* usum Café perstringit, quod hoc Pharmacum Medicamentis diversarum partium & tota substantia agentibus annumerandum, adeoq; non ratione sed empiria sit inventum. Respondeo, sicut non derogat bonitati aut excellentiæ medicamentorum, quæ sola ab initio Empiria, cum varij homines varia tentarent, vel etiam Casus ante *Hippocratis* tempora subministraret, suggessit, cum illi minime intelligerent, quo ritu & quali partium corporis humani affectione Medicamenta operarentur, aut affectibus Corporis responderent, quamvis deinde *Hippocrates* ex ratione illa examinans, quomodo sibi respondeant invenerit; ita etiamnum hodie, si ad ingenuorum Medicorum, qui *Hippocratem* sequuntur, notitiam perferuntur Medicamenta, vel à Barbaris inventa, cum certis tamen testimoniis virtutis & efficaciæ, non quia à Barbaris inventa, illa repudiant, sed qualitates illorum examinant, partes dissociant, principia explicant, quousque ingenio humano progredi licet. Imo male nobiscum ageretur, si sola illa prodessent, quæ sola Ratio subministravit; quamvis Ratio sola, ea quæ Experientia nuda subministravit, regere apta sit atque idonea. Quod autem diversarum partium sit & totâ substantiâ agat Café, hoc cum optimis Medicamentis commune habet.

§. 90. Quando III. Idem propter Café & similium usum, novis nos & contumacioribus morbis corripi asserit, hoc probatum hactenus non

est. Immodico usu, qui abusus est, aut usu victus rationi non congruo, qui abusus itidem est, vim inferri valetudini libenter concedimus. Nam illum quod attinet, manet perpetuæ Veritatis illud *Hippocratis* πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον Omne nimium Naturæ inimicum. Aph. II. 51. Posteriorem quod concernit, quamvis varius ille esse possit, attamen vix evidentior, quam quem modo in morem verti animadvertimus; dum vino pleni potui Café, quo vini loco, Mahumetani, vinum lege prohibente, utuntur, inhiant & nescio quot pocula, non sorbillant, sed liguriunt. Abusus est quem notamus, qui Usui nunquam derogare debet. Usum nocuisse nec ex Historicorum scriptis didici, nec Experientia hactenus me docuit, & quod admitti in forum Medicum debeant Medicamenta etiam exotica, vide Dissert. de Potu Thée §. 50.

§. 91. In eo autem IV. prorsus idem cum Dn. *D. Simone Pauli* sentimus, quando urget, Potum Café non frigefacere Persas (in quibus quasi promiscue sterilitatem, non tamen probatam supponit,) eum frequentius bibentes: & quod, quicquid immodico usu ille adfert noxæ, ab exsiccatione, quæ à sulphure proprio illius, ut Chymici loquuntur, proveniat, concedimus, si addantur quæ Analysis exhibet cætera principia activa, Sal volatilis, Spiritus, de quibus supra. Atque ita quæ ad atterendas Potus Café laudes prolata sunt à Dn. *D. Simone Pauli*, paucos forsan ab usu illius arcere valuerunt, vel arcebunt etiamnum.

§. 92. Speramus porro neminem fore, qui vitio vertat potui Café, quod sint nonnulli, qui adsuescere illi nunquam possunt, & quoties hauriunt illum, lædantur. Sicut Dn. *du Four* c. 13. nominat amicum quendam suum, qui diu in Oriente peregrinatus, semper tamen abhorruit à potu Café, haustum insequente nauseâ & vomitu violento. confer Dn. *de Blegny* de Café c. 2. Nam unius ut dictum, vel alterius ἰδιοσυγκρασία derogare non potest virtuti Medicæ, quam pharmacum habet respectu Corporum humanorum plerorumque omnium. Nam ita v. g. Manna non desinit esse Medicamentum purgans benignum, tametsi sint qui inde constipentur: nec magis Sena vituperatur, quod non sint nulli, qui usum illius tolerare nequeunt; nec Scammonium, Helleborus & similia propterea in robustis damnantur, quod unus vel alter usum illorum non ferat.

§. 93. Denique ne sinister ejus usus legitimo detrahat, operæ pretium videtur, in promptu habere, tum qualitates & proprietates cognitas, tum Principiorum sensibilium in quæ culter Chymicus hoc pharmacum resolvit, naturas, tum denique temperamenta & affectus p. N. in quibus conducere, experientia facit fidem. Ita enim certi, quod sit subamarus potus cum modica adstrictione, quod calefaciendi, resolvendi, deobstruendi vim habeat, quod Sale, præter cætera, volatili & spiritu tenui, & sulphure sui generis abundet; quod Temperamento pituitoso, ventriculo debili ex frigore languido conveniat, somnolentiam abigat; ultrò intelligimus, non convenire Plethoricis, Biliosis, fervido stomacho, tenuiori, subtiliori, acriori sanguine præditis, exsuccis, hæmoptoicis, Phthisicis, hecticis, p. N. vigilantibus, aliis. Quî vero singulis non conveniat, ut specialius excutiamus, Instituti nunc nostri ratio non permittit.

SOLI DEO GLORIA.